


CENTRALE-FIRENZE


PEDEMONTJ
ECPFRASIS
1546
ALDINI
I
5
19












BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE - FIRENZE
ALDINI
I
5
49
RACCOLTA NENCINI


OTIVM
SINE LITERIS
MORS EST
Seneca
Ex Libris Joannis Nencini
1874





FRANCISCI PHILIPPI PEDIMONTII ECPHRASIS IN HORATII FLACCI ARTEM POETICAM.



Cum priuilegio Pauli III. Pont. Max.
& Senatus Veneti.

VENETIIS, M. D. XLVI.

28

RAYNVTIO FARNESIO,

P. ALOYSII F. PAVLI III. PONT. N.

DIGNISS. CARDINALI NEAPOLITANO, PATRONOQVE OPTIMO FRANCISCVS PHILIPPVS PEDIMONTIVS S. D.

SI QVI unquam optimarum artium pręcepta tradiderint, optimarumúe rerum artes conscripserint; Heros pręstantissime, laudem meruerũt; unus est Horatius, mea quidem sententia, præferendus. etenim poetica reliquis artibus tum excellentia, tum difficultate præstat; metricaque oratio ut equestris solutam ab humilitate pedestris nomine uocandam antecedit. Qui, etsi natura ad heroicam illam Homeri Virgiliíque maiestatem accedere uetuit, ut ipse ad Augustum ingenue fatetur, certo tamen acrique iudicio inter alios tanquam stella fulgens emicat. Quod quidem in huiusce artis pręceptionibus conscribendis planum fecit (ut omne carminum genus penè absoluisse, inque satyra non parum enituisse omittamus.) Nam si nullum aliud monumentum posteritati reliquisset, omnibus uel conniuentibus summam ingenij uim, iudicijque pondus planè hoc libello ostendisset. Qui semper est pro puluino à studiosis habendus, nocturna manu uersandus ac diurna, maximi emolumenti causa; tum ut obscuritas, quę à lectione quãplurimos reiecit, peruincatur. Nemo enim Horatij mentem, sensúsque abstrusos percepit meo iudicio, qui poeticam uim omnem non percalluerit; cum ars quęque ex cognitis, ac penitus perspectis rebus constet. At quid inde, quęret aliquis, fructus? omnibus profecto de scriptis non tantum carmine, uerum etiam & quandoque soluta oratione, exactũ, rectum, acerrimumque poterit iudicium facere qui opusculi pręcepta huius assecutus fuerit. Sed cum plerique grammatici in eius interpretatione desudarint, nullus eorum, quos adhuc legerim, scopum atti-

git. Eruditiores enim (ut de ineptis literatoribus, quos gram matistas uocant, perpetuum habeatur silentium) dum multa, quę nihil ad rem, affectarunt, lucem inferre conati tenebras fortasse obduxerunt. Quod nimis arroganter dictum haud prius existimes uelim, quàm nostram hanc lucubratiunculam cum aliorum commentarijs contuleris. Quam quidem dum coagmentarem, cunctos interpretes euoluisse non inficior; & plerunque eorum expositioni adhęsisse, si quę arridebat; sępe uero meam interposuisse sententiam. Sed utcunque studiosi consulent, id unum affirmare audeo; clariorem lucem, quàm unquam antea illuxerit, hac mea ex phrasi Flacco accessisse; multaque pręterea cognitu digna. Si uero offendes aliqua parum accurate conscripta, quæ ingenij tui offendant magnitu dinem, scito Patrone optime, quòd hęc, dum familiaribus meis poeticam explicabam, ad domesticum usum exaraueram; nunquam fore prospicien., ut in eruditorum manus, quibus perpenduntur ingenia, deuenirent. Nunc autem amicorum iussu foras dare coactus tibi dedico, cum haud nescius sim, quantum Farnesiorum ueteri, atque illustri familiæ res literaria debeat. Paulus quippe Pontifex Max. auus tuus literatissimos uiros, doctrinarumque studijs deditos in amplissimo dignitatis gradu collocauit; adeoque bonarum artium studiosos in dies magis auget, fouet, atque extollit; ut merito eum ad consopitas literas excitandas, amplexandasque, imo uirtutem omnem amplificandam, augendam, conseruãdamque Deus Opt. Max. hominibus uicarium constituerit. Adactus prætereà sum, ut ad te confugerem, non tam uirtutis tuæ fama, quàm uirtute ipsa, atque humanitate. præsertim quòd in literarum studio tantum profecisti, quantum ea ætate nemo unquam alius. Et, ut audio, poeticæ huius lectione admodum delectaris. Quod mihi ingenij tui pariter, atque iudicij clarissimum est indicium. Nam in literis non postremas obtinet partes, qui Horatium ex poetis peculiarem sibi auctorem sumpserit. imo doctus uir, aut eruditus nequaquam est uocandus, qui in tali arte perdiscenda non elaborauerit; contraque ineruditus, indoctusue minime nuncupandus, qui in ea profecerit. Agnoscis & hanc pontificiam sententiam? ingenue fateri per quem profecerim malo,

quàm

quàm in furto deprehendi. Quòd si à tanto uiro id opus probabitur, in eandem sententiam omnes ituros certo scio. Sin autem secus eueniet, inclyti saltem nominis clypeo munitum contra maleuolos tuto exibit. Cæterum haud ignoro, quàm munusculum hoc amplitudini tuæ non conueniat, qnam'ue pau pertate sordescat sua. Ad te enim potius spectabant quæ ma iora ab hominibus dicari solent. Quippe qui à generosa stirpe ortus, atque præstantissima, omni bonorum genere excellis; animi inquam, corporis, utque nil amplius ad laudis cumulum desideretur, externorum; quæ à philosophis fortunæ tribuuntur. Tibi nanque omnes animi pariter, & corporis dotes infeuit natura (abest protecto adulatio, adestque ueritas.) Tibi præterea fortuna, quæ plerunque uirtuti ac bonitati aduersatur, mirum fauet in modum. idque merito, & non absque Dei nutu. sanctissimę enim, & uerę Christi religioni adeo addictus es; ut iure eum dignitatis obtineas gradum, quo inter principes ecclesię fulges. Ecquid pręterea? ea liberalitate fungeris, ob quã Aristoteles expetendas opes ferè censebat. omitto comitatem, qua animos allicis; omitto optimos mores; omitto, quod raro cuipiam contingit, seniles cum grauitate curas in iuuenta. omitto denique accuratam circunspectionem, circunspectamque cõsiderationem in re quaque obeunda. spero tamen, quòd læta fronte, ut soles, munusculum hoc admittens animi ardore compensabis; mirumque agnosces desiderium mea omnia, imo dignitati tuę me ipsum dedicandi. Quòd si tantillum uoluptatis apportasse intellexero, maiora moliar, nouosque partus in dies edere conabor. Vale.

PVRESIVS LECTORI.

Quoniam Pedimontius doctor & pręceptor meus Ecphrastica lege astrictus multa omisit, quę alioquin ad textus explanationẽ attinebant; idcirco operępretium facturus mihi uisus sum, scholia quædã adiungere. tu uero æqui bonique consule, & Vale.

Vmano capiti ceruicem pictor equinam
Iungere si uelit, & uarias inducere plumas
Vndiq; collatis membris, ut turpiter atrum
Desinat in piscem mulier formosa superne:
Spectatum admißi risum teneatis amici?
Credite Pisones isti tabulæ fore librum
Persimilem, cuius, uelut ægri somnia, uanæ
Fingentur species, ut nec pes, nec caput uni
Reddatur formæ. Pictoribus atque poetis
Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas.
Scimus, & hanc ueniam petimusq; damusq; uicißim,
Sed non ut placidis coeant immitia, non ut
Serpentes auibus geminentur, tygribus agni.

PLATO, diuinus ille philosophorum princeps, mundi opificem Deum rerum omnium, quas creat, species formas'ue (ita enim interpretatur Cicero quas ille ideas uocat) penes se habere, easque tanquam pictas tabellas, & quodam modo exemplaria quædam mente inspicientem inferiores hasce diuinitate sua proferre asserebat. necesse enim est artificem earum rerum, quæ à se fiunt, priusquam manum admoueat, pręcognitam habere notitiam; animoque præuidere formam, cuius exemplo opus quodque informet. sic itaque in omni arte, pingendi maxime, fingendi, atque sculpendi; quæ quidem eodem imitationis tramite cum poesi Aristoteli incedere uidentur; primum est animo prospicere quid quisque facturus sit. siquidem pictor nunquam tabulam aliquam pręclare depinget, ni formam illam animo præuiderit; neque fictor imagunculam è cęra argil

la'ue, aut sculptor saxo recte formabunt, ni cogitatione prius effinxerint. Poeta quoque, priusquam calamum sumat, necesse est, ut pectore operis concipiat formam, ipsumq́ue poema disponat. Igitur Horatius noster de arte poetica precepta daturus præcipit id, quod primum ac præcipuum est, Ne, cum totius operis futuri speciem, & quasi imaginem quandam preparamus, ueluti ægroti cum somniant, uanas ideas mente cōcipiamus. Irridebitur quippe Poeta, qui uarias species commiscebit, cuiusq́ue animus in condendo poemate uanis somnijs, & (ut ita dicam) delirationibus distrahetur haud secus, ac pictor; qui in tabella monstrum aliquod præter naturæ, a' qua nulla ars discedere debet, imitationē exhiberet. cuiusmodi, si caput haberet humanum, collum equi, reliquum corpus plumis obsitū, tandemq́ue superiori parte uultu muliebri formosum, inferiori in turpem piscem desineret. quemadmodum Homerus monstruose chimæram expressit.

Πρόσθε λέων, ὄπιθεν δὲ δράκων, μέσση δὲ χίμαιρα;

uel potius de Scylla aut Charybdi poete fabulantur. Nam eiusmodi monstra innuit auctor, mea quidem sententia, dum inquit; Vt turpiter atrum
Desinat in piscem mulier formosa superne.

Quippe Maro consulto eius scopuli naturam poeticis pigmētis coloratam exprimens ita Scyllam depinxit.

Prima hominis facies, & pulchro pectore uirgo
Pube tenus, postrema immani corpore pistrix, — Aen. iij. 178. 24.
Delphinum caudas utero commissa luporum.

Necnon huiusmodi somnia fingentes in aliud grauius peccatum incidunt. nam dum opus uarijs refertum portentis per insana figmenta uariabitur, materiæ series minime cohærens nunquam continuabitur; ac poematis prime partes cum postremis non conuenient; minime'ue totum ipsum, quod (ut inquit Aristoteles) ex principio, medio, ac fine cōstat, absoluetur; eritq́ue formæ persimile, quæ capite & pedibus careat. Nam quod de poetarum nimia licentia uulgo fertur, eis licere quicquid libeat, non sic libera datur facultas, ut a' natura omnino recedāt; cuiusmodi esset serpentes auibus, tygribus agnos adiungere, ac mansuetissima immitioribus comparare. Quæ enim fin-

Allusit Hor. ad prouerbium quod a Luciano refert. Atqui uetus, inquit, hoc dictum est, liberos esse poetas ac pictores. Et in Damasmi Encomio ait, Atqui poeticum genus liberum. Sentit autem liberum esse poetis et pictoribus quicquid uelint fingere. Nā poetæ numine aguntur, eoque illis frustra præscribas. Est autem plurima cognationis inter poeticam et picturam. Hinc ē quod Simonides auctore Plut. picturam tacitam poesim appellauit, poesim autem loquentem picturam. inde Hor. Ut pictura poesis erit. Adi Eras. Chil. iij. Cent. i. Adag. 48.

guntur, conuenire debent cum natura, atque ab ea nullatenus discrepare. Verum in excogitandis figmentis Homerum in primis omnis poeticæ uirtutis fontem imitandum proponit Aristoteles, qui maxime ante alios docuit, quonam pacto mendacium dici effingique oporteat.

NON ESSE A' MATERIA DISCEDENDVM.

Inceptis grauibus plerunque & magna professis
Purpureus, late qui splendeat, unus & alter
Assuitur pannus, cum lucus & ara Dianæ,
Aut properantis aquæ per amœnos ambitus agros,
Aut flumen Rhenum, aut pluuius describitur arcus.
Sed nunc non erit his locus. & fortasse cupressum
Scis simulare, quid hoc? si fractis enatat expes
Nauibus, ære dato qui pingitur. Amphora cœpit
Institui, currente rota cur urceus exit?
Denique sit quoduis simplex duntaxat, & unum.

Cauendum omnino est, ne magna proposita re in uarias friuolasque egrediamur descriptiones; ac ne, dum luxuriantis ingenij petulantia flosculos affectare admodum uelimus, a' materia ipsa discedamus, nam etsi poetarum digressiones quandoque splendent, opusque ipsum decorant; unaque & altera descriptio si commode & perapposite, tanquam purpureus pannus, assuantur, plerunque coruscant; damnantur tamen, cum propositæ materiæ non conueniunt. Nimium quippe erit indecens, si poeta magna professus & grauia, tenui tempestatum, pluuiarum, lucorum, amnium'ue descriptione occupabitur, tum præcipue, cum res ipsa expetere non uidebitur. Similis quoque erit poeta, qui a' proposito discedens nimis in parergis immorabitur

morabitur, pictori; Qui cum in laboris mercedem accepto ære naufragum hominem disiecto temone, abrupto malo, uelis antemnisque dispersis, mare euomentem, ac sine ulla spe enatantem, ipsam tamen ratem natantes'ue tabulas apprehendentem pingere deberet; qualem Homerus Vlyssem descripsit; cupressum effingat; aut alia id genus, quę res non postulat. Comparabitur etiam figulo, qui cum amphoram inchoarit, sumpta tralatione pro altiori materia, in urceum desinat, pro uiliori & abiecta. Poema denique unum, simplex, atque omnino proposito cõgruens usque ad finem esse oportebit; minimeque refertum implicatum'ue ijs, quæ nihil ad rem.

DE STILO.

Maxima pars uatum, pater, & iuuenes patre digni,
Decipimur specie recti. Breuis esse laboro,
Obscurus fio: sectantem leuia nerui
Deficiunt, animiq; : professus grandiat urget,
Serpit humi tutus nimium, timidusq; procellæ.

Animaduertendum in primis est ne specie boni decipiamur, dum scilicet stili breuitatem affectemus, in obscuritatem incidamus. Quod fortasse Horatio ex poetis accidit; ut ipsemet fatetur hic quorundam opinione, cum inquit, Breuis esse laboro, obscurus fio. Hoc uideo, inquit Cicero, dum breuiter uoluerim dicere, dictum a' me esse paulo obscurius. Nam id uitij non tantum equestri, uerumetiam & pedestri oratione plerunque euenit. & forsan eiusmodi crimine maxime laborassent ueteres illi historiarum scriptores, Cato inquam, Pictor, & Piso; qui unam dicendi laudem putabant esse breuitatem; nisi perspicuitati, quæ a' Quintiliano sermonis præstantia habetur, adhęsissent; ac magnopere desudassent, ut intelligeretur quid ipsi dicerent. Etenim multa sæpenumero existunt, quæ non nisi longo orationis contextu propter subiectam materiam explica

ri possunt; quod si secus fiat, tenebræ obducentur. Oportet ergo poetam exactissimo acerrimoque iudicio præditum esse; ne dum mediocrem, leniorem, æquabilioremue stilum affectabit, languidum, mollem, eneruatum, dissolutumque ostendat. & rursum ne, dum sublimia grandiaue profitebitur, turgidiorem inflatioremque se præbeat; aut hunc euitans in humiliorẽ recidat. Eapropter æqua iudicij lance pensitandum erit, temperamentumque (ut ita loquar) adhibendum; ne alterum extremorum, quod tanquam crimen philosophorum sententia damnatur, aliquis sequi uideatur; nimium quid insolens ac turgidum in dicendo, aut contra humile abiectumque demonstrãs. Quinimmo medium plerunque, in quo sita est omnis uirtus, pro uirili unusquisque aucupari debet; utque uidebitur res ipsa postulare, ita stilus adaptandus. Quod quidem in Homero præcipue Vergilioque deprehenditur; modo enim in Heroicã altitudinem sese extollunt, modo in mediocritatem deprimuntur. incensi quandoque concitati, ubertate ac nimia luxurie redundantes; rursus temperati, sedatiores, sobrij ac ieiuni, diligentissima materiei habita ratione, omnibus apparent; qui in eorum lectione paululum desudauerit. Cui enim non perspicuum est Maronem nostrum omnis poeticæ uirtutis instar poemata sua uario stilo, atque ad rem perapposito temperasse? Quàm lenem, placidum, mitem ueluti humilimus ac simplex pastor in pastorum ludicris colloquijs conscribendis se præbuit? Rursus assurgente materia à pastoritia leuitate discedens ad grauitatem sese erigebat. quod apparet in Pollione ac Sileno. At in re rustica pertractanda mediocritatem quandam adhibuit; cantumque heroica tuba, ac pastorali fistula temperauit. Non tamen quin quandoque extra præscriptos fineis egrediens ab humilitate mediocri non discedat. quod facit ubi C. Iulij Cæsaris indignissimam cædem grauiter & non sine stomacho conqueritur. Demum ad arma canenda postmodum ascendẽs, & quasi classicum inflans, Dij immortales, quo spiritu, quo flatu, quo denique furore intonat? adeo sibi poeticam omnem gloriam, dignitatemque uendicauit (Homerum semper excipio) posterisque scribendi quodãmodo facultatem eripuit. quia nemo ad tãtam ingenij magnitudinẽ ne propè quidem unquam accedet.

DE VARIANDO POEMATE. Ivar. iiij.

Qui uariare cupit rem prodigialiter unam,
Delphinum siluis appingit, fluctibus aprum,
In uitium ducit culpæ fuga, si caret arte.

In uariando poemate erit iudicium acre adhibendum, ut quid conueniat accurate diligenterque circunspiciamus. Decet autem in primis ipsum opus uarium efficere, poeticis'ue coloribus ac figmentis ornatum reddere; cum alioquin admirationem, oblectationemque, qui poetarum est scopus, nequaquã præbeat. Poesis enim decorum suum, uenustatem, atque saporem (ut ita loquar) nunquam habebit; nisi a' uarietate accipiat condimenta. Nam poetica & artes quamplurimæ nobiles naturam tanquam ducem sequuntur; quæ quidem mirum in modum uarietate gaudet. Quòd si ad historicum spectat historiam ipsam uariam reddere, ut uarietatis oblectamento lectorem detineat (nulla quippe res æque delectat ac uaria lectio) etenim si ieiune rei tantum ueritatem, qui in rebus gestis conscribendis ultimus est finis, nullis adhibitis descriptionum pigmentis, omnique fuco abiecto, quemadmodum annales a' uetustissimis exarabantur, explicaret, tædium dubio procul adportaret. Quanto magis poetæ hoc proprium munus erit? qui pictor est loquens. atqui nulla res magis picturam splendescere faciat, quàm colorum illa diuersa uarietas. Huiusmodi autem uariandi opus normam diligẽtissime obseruarunt e' poetis, perfecteque absoluerunt Homerus Vergiliusque, duo quidem almæ poesis clarissima lumina; ac Liuius noster in historicis (ut græcos omittam) quem ego fortasse non nimis audaciter historiæ patrem appellare soleo. quo nomine Cicero Herodotum decorauit. Contra uero minime decet in uariando poemate prodigiosa atque monstrifica figmenta comminisci, a' natura ipsa recedendo, haud secus ac pictor; qui in fluctibus aprum, in siluis delphinum pingeret. Nisi forte eluuionem illam totius orbis ab Ouidio, atque auctore decantatam depingere uellet, Omne cum Proteus pecus egit

altos uisere monteis; Piscium & summa genus hæsit ulmo, Nota quæ sedes fuerat columbis; Et superiecto pauidę natarunt Aequore Damæ. Rursus animaduertendum, ne ab altero uitio abhorrentes in alterum decidant; nam, ut idē aliâs, Dum fugiunt stulti uitia, in contraria currunt; ne scilicet prodigiosam hanc uariationem euitando uarietatem ipsam penitus deserant; aut ita rude, incultum, inornatum'ue poema efficiant; ut legi non mereatur, Charybdimque effugientes in sæuā Scyllam incidant. Quod quidem indoctorum peculiare est; qui nullius artis periti, apposite locis suos splendores, ac diuersorū colorum pigmenta collocare nesciunt.

DE TOTIVS OPERIS PERFECTIONE. Praec. V.

Aemilium circa ludum faber Imus & ungueis
Exprimet, aut molleis imitabitur ære capillos.
Infelix operis summa, quia ponere totum
Nesciet. Hunc ego me, si quid componere curem,
Non magis esse uelim, quàm prauo uiuere naso,
Spectandum nigris oculis, nigroq; capillo.

Decretum hoc a' poetis minime paruifaciendum, tanquam sacrata lex ab omnibus est seruandum; quo quidem sancitur, eos, qui poeticam prouinciam susceperint, aliud'ue opus perficiendum receperint, niti admodum oportere; ut omne, quod institutum fuerit, absoluant; magisque totius operis perfectionem, quàm partium animaduertant. Nam (etsi non eo inficias omnia uel minima in poemate acriori iudicio perpendenda, suisque ornamentis decoranda, ut animos legentiū oblectent) tamen si alterum de duobus daretur, facta utriusque comparatione, dignior erit subsannantium morsū, qui totum opus nequaquam absoluens parteis in eo ita elaboret, ut splendescant; quàm qui totum perficiens laudabile, quædam tamen membra non ita perfecte consumauerit. Quanto enim præstantius maiusque

iusque partibus est totum, tanto minus obiurgandus qui peccat in membris, quàm qui in toto corpore. Idque Horatius quambreuissime potuit, more suo decreuit, exemplo fabri adducto; qui in statuis ex ære faciundis nihil aliud laude dignum exprimebat, præter duo extrema, ungueis uidelicet & capillos; reliquum uero corpus adeo à naturæ imitatione alienum, quòd uix spectandum erat. itaque infelix merito dicebatur eiusmodi operis summa; quoniam absoluere, totoque æneo signo dignitatem, ac uenustatem addere nesciebat. Atqui ego si statuam conflandam mihi curarem, malim effingi turpi naso, alius ue membri deformitate, dum reliquo corpore absolutio uiuum hominem imitaretur; spectandaque foret nigris oculis; qui ue nustiores habentur, suntque auctore Plinio corporis pars preciosissima; quippe in eis animus inhabitare fertur; cum intentione, remissione, coniectu, atque eorum hilaritate motus animorum significentur. Esset quoque pulchra ac decora atris capillis, reliquisue membris ita inter se cohærentibus, ut à natura ipsa parum recederet, quàm si toto corpore deformi, eius tamen parte aliqua formosa ac laudanda locaretur. Sed notandum hac præceptionis norma in membrorum confectione errata haud tuto permitti; quinimo sanciri, ut unusquisque in totius poematis perfecta absolutione magnopere desudet; suisque exornet coloribus, ac ornamentis. Quòd si quandoque fieri secus non poterit, quin in alterutro peccet; cum natura hominis erroribus sit obnoxia; à grauiori lapsu, in toto scilicet errare, cauendum erit.

DE INVENTIONE. Prec. VI.

Sumite materiam uestris qui scribitis æquam
Viribus, & uersate diu, quid ferre recusent,
Quid ualeant humeri. Cui lecta potenter erit res,
Nec facundia deseret hunc, nec lucidus ordo.

Potenter pro uiribus, ac si diceret quãtum quis potest, noue dictum.

Vetus est Apollinis Delphici oraculum, γνῶθι σὲ αὐτὸν, usque à

uetustissimis temporibus ad nos deductum, atque ab omnibus tantopere celebratum; quo monemur ut nosmet ipsos pernoscamus, diligenter accurateque humanæ naturæ uim, & conditionem examinemus: ne philautiæ illecebris allecti arrogantiæ, aut temeritatis crimen subeamus; ea quandoque assumendo, quæ nostras uires excedant, ac nullo iure uendicare deceat. Quapropter merito Horatius præcipit, ut unusquisque in excogitatione earum rerum, quas pertractandas suscipit, imbecillitatem ingenij sui metiatur; minimeque materiam sua facultate maiorem recipiat; quamue præ manibus non habeat, aut postea poetico penicillo illustriorem, splendidioremque reddere non certo sciat. quinimo id onus suis humeris imponat, quod facillime sustinere ualeat; eamque demum sibi prouinciam deposcat, quam cum dignitate obtineat. Siquidem ex sapientum decreto ea in re se quisque exercere debet, quam percallet; ac finis cuiusque artificis est bene & feliciter in arte, unde nomen habet, sese gerere, opusque susceptum ad unguem perficere. Nam qui ingenij opibus congruentem materiam elegerit, facundia, ordine, qui lucidum ac splendidum poema reddit, dispositioneque ostendente quid quibus in locis sit collocandum minime uacabit. unde auctor ipse, alijque uiri doctissimi illius felicissimæ ætatis maiestate heroici carminis, quam Vergilius naturaliter insitam habuit, deterriti canere laudes, ac bella Cæsaris non sunt aggressi. quis enim (ut idem alibi Agrippæ sese excusans, quòd eius gesta non scribat, eamque prouinciam uario imponens inquit) Martem tunica tectum adamantina

Digne scripserit? aut puluere troico
Nigrum Merionem? aut ope Palladis
Tydidem superis parem?

Qui enim mente ea concipit, quæ suis uiribus assequi nequaquam poterit, more Gigantum ad cœlum ipsum aspirans ab arduis inceptis cadet, deorsumque præceps ibit; ac medio itinere tanquam defessus equus humi procumbet.

DE DISPOSITIONE. Præc. vij.

Ordinis hæc uirtus erit, & uenus, aut ego fallor,

Vt iam nunc dicat, iam nunc debentia dici
Pleraque differat, & præsens in tempus omittat.
Hoc amet, hoc spernat promißi carminis auctor.

Dispositionis poeticę, quę statim inuẽtionem sequitur, hoc proprium munus erit; ne à principio continuata rerum serie, historicorum more, materiam ipsam ordinatim prosequantur qui poesin profitẽtur. Sed quæ dicenda uideantur in poematis principio, ad medium seruentur; quæ'ue rursus in medio, ad extremum; & quæ in extremo, præpostere in primordio collocentur. Quod quidem, etsi omnes poetæ egregij diligenter obseruarunt, Homerum tamen ac Maronem multo artificiosius absoluisse perspicuum est. Ille enim, quemadmodum historiæ ordo postulabat, cum à raptu Helenæ exordiri debuisset, ab Achillis cedere nescij stomacho atque indignatione magnum poema inchoauit. Hic uero cum ab excidio Troiæ, à Iunonis odio, quo perpetuo Troianos prosequebatur, principium duxit; omnemque hunc præposterum ordinem in tribus æneidos prioribus libris mirifice seruauit. Itaque ad hanc sententiam struo. ordinis hæc uirtus erit ac decus, nisi fallor; ut iam nunc in initio dicat, quæ supple, si rerum series attenderetur, postea dicenda forent; & iam differat debentia dici nunc, hoc est quæ ponenda essent in principio differat, postmodum in fine, aut medio dicturus, uel plerunque omittat; prout acre iudicium dictabit. dummodo materiam recto ordinis filo nequaquam intexat. Nam hac de causa præ cæteris Aristoteli diuinus Homerus uidebatur; quòd bellum alioqui principio, medio, fine que comprehensum totum scribere non fuit aggressus. Quidam uero non de totius poematis dispositione hic præcipere auctorem arbitrantur; sed de quibusdam descriptionibus, quę aliquando occurrunt, ut uideantur tunc apte & congruenter poni debere; attamen si in alium locum reseruentur, maiorem operi uenustatem sint allatura. Et hinc ultimo carmine statuere eadem quambreuissime repetentem; alia esse à poeta affectanda, alia uero respuenda, & tanquam rudia calamoque indi-

gna penitus omittenda. Nam id demum toto animo expetere poeta debet, proque uirili aucupari, quod poema uarium, elegans, concinnum, suis'ue coloribus ornatum efficiat. Rursus alij Flaccum hic monere contendunt; poetam quandoque se interponere, ac suas partes permiscere oportere; ut uehemẽtius quod libuerit exprimat, legentiumque mentibus imprimat; & quæ fugienda fugere, quæ'ue optanda optare uideatur. Quo quidem artificio usus est noster Maro, a' sæua illa tempestate abhorrens, cum ait.

Non illa quisquam me nocte per altum
Ire, neque a' terra moneat conuellere funem.

Rursus idem almam poesin mirificis laudibus extollens, seque eius sacris initiari admodum optans inquit.

Me uero primum dulces ante omnia Musæ,
Quarum sacra fero ingenti perculsus amore,
Accipiant; cœlique uias & sidera monstrent.

id quoque diligentissime auctor ipse quanquam non in magno poemate seruauit. ubi postquam uaria diuersorum studia recensuit, dum alios alijs detineri ostendit, quid potius appetendum ex persona sua sic decernit.

Me doctarum hederæ pręmia frontium
Dijs miscent superis; me gelidum nemus,
Nympharumque leues cum satyris chori
Secernunt populo. Et reliqua.

Natura quippe comparatum est, ut uehementius ij, qui legunt, ad expetendum quippiam, uel euitandum moueantur, si prius eosdem fugiendi aut optandi motus auctorum animis impressos atque inustos animaduerterint, & quodammodo ex eorum affectionibus, quas græci πάθη uocant, ipsi affecti fuerint. Libuit uarietatem hanc sententiarum ueluti appendicem adiungere; ut lectori aliorum commentaria uoluendi labor leuaretur. quanquam prior sensus, legem uidelicet condidisse de totius operis distributione, meo iudicio ueritati magis adhæret, magisque materiæ continuationi congruit. ut locutus auctor de rerum excogitatione statim de dispositione præcipiat.

In uerbis

DE VOCABVLORVM COMPOSITIONE.

In uerbis etiam tenuis cautusq; serendis
Dixeris egregie, notum si callida uerbum
Reddiderit iunctura nouum. etsi forte necesse est
Indicijs monstrare recentibus abdita rerum, &
Fingere cinctutis non exaudita Cethegis,
Continget, dabiturq; licentia sumpta pudenter.
Et noua fictaq; nuper habebunt uerba fidem, si
Græco fonte cadant parce detorta. Quid autem
Cæcilio Plautoq; dabit Romanus ademptum
Vergilio, Varioq;? Ego cur acquirere pauca
Si possum inuideor? cum lingua Catonis & Ennij
Sermonem patrium ditauerit, & noua rerum
Nomina protulerit. Licuit, semperq; licebit
Signatum præsente nota producere nomen.
Vt siluæ folijs pronos mutantur in annos,
Prima cadunt, ita uerborum uetus interit ætas,
Et iuuenum ritu florent modo nata, uigentq;.
Debemur morti nos, nostraq;, siue receptus
Terra Neptunus classes aquilonibus arcet,
Regis opus, sterilisq; diu palus, aptaq; remis
Vicinas urbes alit, & graue sentit aratrum.
Seu cursum mutauit iniquum frugibus amnis

Tenuem parcum intelligo.

Pulchra metaphora ab arborum insitione.

Indicijs recentibus, nouis uerbis. quæ quidem, Aristotele teste, animorum indicant affectiones.

Pro Cethegis uetustissimos eloquentiæ sectatores uerborumq; conditores intelligit. M. enim Cor. Cethegum ut eloquentem celebrauit Ennius. Cinctutos dixit bene præcinctos expeditos paratosq; ad pugnandum, græcorum imitatione, qui εὐζώνους strenuos uocant milites. Parrhasius.

Miro artificio Flaccus cum de nouandis uerbis loqueretur, nouum intulit uocabulū; uel semel à Plauto usitatum. qui inquit. qui inuidēt egēt,

illi, quibus inuidetur habent. quamuis alij impersonale arbitrentur. Parrhasius.

Doctus iter melius, mortalia facta peribunt.
Nedum sermonum stet honos, & gratia uiuax,
Multa renascentur, quæ iam cecidere, cadentq́;
Quæ nunc sunt in honore uocabula, si uolet usus,
Quem penes arbitrium est, & uis, & norma loquendi.

Iandudum ab omnibus receptū est, Poesin ipsam a uerbis compositis, epithetis artificiose appositis, longis quandoque ambagibus, anfractibus, circuitionibusq́ue quas Græci περιφράσιας uocant, sua postulare ornamenta; ut lauta ac magnifica carminum supellectili redundet. Nam si ut in soluta oratione, ita in equestri locutio obseruaretur, nunquam poema elegans politum'ue euaderet; adeoq́ue incompta ieiunitate sua laboraret, ut nullā afferret oblectationem. Vnde poetarum doctissimi quique quod uno uerbo exprimi poterat, elocutione plerunque circunscribentes pluribus explicarunt; Homerus alijq́ue uetustissimi uates tot epitheta mirifico artificio, innumerasq́ue uerborū cōpositiones excogitarūt, ut iure hanc laudem Græcia sibi uendicet; adeoq́ue cæterorum scriptorum sermonem neglexerunt, quod Ariphades, auctore Aristotele, carpebat tragœdos; quippe qui in tragœdijs conscribendis, his uerborum immutationibus quos τρόπους uocant, usi fuerint; qui a communi sermone abhorrebant. cuiusmodi sunt δόμων ἄπο, & σέθεν, & ἀχιλλέως πέρι, aliaq́ue id genus. Quod quidem consulto ab illis factum asserit philosophorum columen; nam simplicem ac uulgarem in loquendo proprietatem eo modo effugientes plebeiam humilitatem euitarunt. Idcirco animaduertens auctor huiusmodi uocabulorum uariam coagmentationem necessariam, statuit, in cōponendis uerbis iunctura, compositione'ue artificiosa uti oportere. Quod quidem fiet, si nouum uerbum ex duabus notis & usitatis uocibus, perinde ac membris, conglutinabitur; ut aurifodina ex auro & fodio, maleficus ex male & facio. quæ quidem e duobus quasi corporibus coalescunt; nam ex tribus compactionem nostræ linguæ Quintilianus non concedit. quamuis Cicero capsis

compoſitum eſſe ex cape etſi uis dixerit; lupercalia quoque & ſolitaurilia quidam tres æque partes orationis eſſe contendant; quæ ipſe non tam ex tribus, quàm ex trium particulis coijſſe arbitratur. Nam Cæſaris ſentẽtia inuſitatum uerbum perinde atque ſcopulus euitãdum, uſitatiſq́ue tutius utimur. Quinetiam Ariſtoteles ipſe Platonẽ ſubſannat, quòd improprijs minimeúe tritis nominibus uſus fuerit; oculum quippe ὀφρυόσκιον, araneum σηφιδάκης, & medullam ὀστογενὲς nũcupauit. Nec me latet apud latinos quædam eſſe uocabula mixta ex romana externáque uoce; cuiuſmodi ſunt Biclinium, Epitogium, & Anticato; aut ex duabus peregrinis, ut epirhedium ab ἐπὶ græca præpoſitione, & rheda gallico nomine. Nihilominus in hoc magnopere elaborãdum, ut unuſquiſque quoad fieri poſſit propriam linguam locupletet; ne tanquam inops aliena ope indigere uideatur. quod quidem enixe conatus eſt Cicero. Quibus uero modis huiuſmodi uerborum compactio fiat idem recenſet Quintilianus. Nam aut ex duobus latinis integris, ut ſuperfui & ſubterfugi, aut ex integro & corrupto ut maleuolus, aut ex corrupto & integro ut noctiuagus, aut duobus corruptis ut pediſſequus fieri poſſe aſſerebat. At quoniam in dies multæ res nouæ hominum induſtria excogitantur, quæ priſcis temporibus latuerunt, tunc nouis rebus noua etiam uerba imponenda; audendumq́ue eſt, nam quæ primo dura uiſa ſunt uſu molliuntur; etſi noua non ſine quodam periculo fingi aſſeuerant. Philoſophi enim ueteres nouam materiam conſcribentes, resq́ue maioribus incognitas pertractantes noua uocabula effinxerunt; quemadmodum epicurus primus πρόληψιν appellauit, quam anticipationem, aut prænotionem Arpinâs interpretatur. atque etiam Ariſtoteles primus induxit ἐντελέχειαν; quam recentiores quidam perfectionem, habitum alij, quidam actum uertunt; Cicero noſter perẽnem & continuam motionem nuncupauit; quidam uero in philoſophia non parum uerſati malunt conſummationem. quamuis alij uocem hanc ab Ariſtotele primum excogitatam minime opinentur, interpretẽturq́ue ἐνέργειαν. Et ne à noſtris diſcedamus, M. Tullius, qui philoſophiam latinis literis illuſtrare uehementius laborauit, nonne multas uoces maioribus ignotas excogitauit? nonne & hac ætate eruditiſſimi uiri impellente rerum ma-

teria, quas tractandas susceperint, noua uerba Latio apportarũt? quod quidem (ut alios omittam) Gaza græci pariter ac latini sermonis peritissimus in Aristotelis animalium interpretatione recte fecit. sed hæc licentia habet suos præscriptos fines, quos trãsgredi nequaquam licet. Noui enim grammaticum, qui hæc Horatij lege adductus, Aristotelisque decreto nomina κατὰ συνθήκην, hoc est ex compacto, uel, ut uulgo loquuntur qui eius dogmata profitentur, ad placitum, asserentis, quoties latinum uocabulum non succurrebat, quidquid in linguam, ut aiunt, discipulis dictabat. Idcirco auctor subdit libertatem hanc sumendã esse cum pudore, & modestissime, non nisi impellente necessitate. Nam quod inquit Aristoteles nomina esse secundum conuentũ, non ita liberam dedit potestatem, ut liceat omnibus uerbum quodque pro suo arbitrio effingere. ibi enim nomina non à natura indita asseuerans, uetustissimos illos, qui ea rebus imposuerunt, inter sese coijsse, ac, prout ratio postulare uidebatur, ita res communi consensu appellasse statuit. Necessario quippe dicendum est non è cœlo in terras rerũ uocabula defluxisse; sed cum homines ad loquendum idoneos natura procreasset, ipsos sibi, cæterisque animantibus, ac rebus omnibus nomina indidisse. Sed in huiusmodi nouarum uocum compositione monet auctor græcis adhærere, à quibus multa nostra emanarunt, ac, ut maiores obseruarunt, ita & posteros oportere. Nam si apud Graios uerbum erit, quo latinus sermo careat, eniti debet unusquisque latinum uertendo reddere; quod quidem diligentissime fecit Cicero; uel si latine exprimere non poterit, græcum utendum accipiat. ut philosophiam, ephippium, aliasque uoces quamplurimas ueteres receperunt; quia elegantius ad uerbum romanæ reddi non poterant. Vnde iure asserit Quintilianus nos græcis uti uerbis confessis, ubi nostra desunt; sicut illi à nobis nonnunquam mutuantur. atque eò, magis quoniam, eodem auctore, nõ omnia nos ducentes ex græco fonte sequũtur; quemadmodum ne illos quidem, quoties suis utique uerbis signare nostra uoluerunt. Quis enim apte latino sermone antiperistasin illam ab Aristotele tantopere celebratam explicabit? aut Aristophanicum illud Σφραγιδονυχαργοκομήτας innumera'ue alia? qua quidem de causa interpretatio illa Plauti essentia atque entia nimis dura uide-

tur. Hinc M. Varro in latinæ linguæ fragmento, quod opus ad Ciceronẽ scripserat, uocabula asserit partim esse nostra; partim externa, quorum profecto maior pars a' græcis defluxit. nemo enim inficias ibit græcam linguam in uocabulorum conglutinatione artificiosiorem esse romana, copiosioremq́ue; ut uno comprehendat uerbo quod pluribus latinis explicandum foret. Ad hæc idem Quintilianus Varroni adhærens uerba item censet aut latina esse, aut peregrina; & peregrina ex omnibus prope' gentibus, ut instituta etiam multa, uenisse, Thuscis, Sabinis', & Prænestinis. Vnde ut eorum sermone usum Vectium Lucilius insectabatur; quemadmodum Pollio in Liuio Patauinitatem deprehendit, quinimo ex Gallia plurima uenerunt, ut rheda, & petorritum. Quòd uero Horatius parce detorquenda isthęc uerba a' gręco fonte asseuerat, boni ciuis officio fungitur. Nam cum latinus sit, sermonem patrium merito locupletandum tradit; tacite præcipiens ab aduenis uerba mutuanda non esse, nisi nimia cogente necessitudine, cum secus fieri non poterit; imo certatim conandum latine loqui. Eo quippe sermone debemus uti, qui notus sit, ne ut quidam gręca uerba inculcantes iure optimo irrideamur; inquit Cicero qui aliâs linguam latinam græca uberiorem esse affirmauit. nescio an uere. Demum ut ratio eorum, quæ pauloante dicta, assignetur, locus admonet. Si enim noua nomina effingere ob linguæ egestatem, ut Lucretius inquit, maioribus concessum fuit, posteris cur denegabitur? pręsertim quòd semper licuit, licebit, Cum oportuerit, nouum aliquod proferre nomẽ à communi sermone haud omnino alienũ, uulgarisq́ue consuetudinis nota signatũ; perinde atque numismata regnantis principis facie, uel alio quouis charactere publice signantur; posteaque temporis decursu, aut regni uicissitudine abolentur. Consuetudo quippe certissima est loquendi magistra; utendumq́ue plane sermone, ut numo; cui publica forma est. Nam uetustissimis temporibus in Latio rudes gentes ferino cultu uitam degentes siluestri sermone utebantur; cuius quidem reliquiæ ad posteros non emanarunt. Successit inde Latini regis ætate latina locutio; quæ asperitatem illam priscæ linguæ leniorem reddidit. Hinc sermo Romanus lenis, purus, elegans, & candidus, quem tantopere clarissimi scriptores illu-

ſtratum, expolitumq́ue reddiderunt; neque ſtatim ab initio. ſed paulatim ab Andronico, qui primus fabulam docuit, Ennio gradatim, Plauto, Næuio, Pacuuio, Cæcilio, Accio, Terentio, ac deinde cæteris excultus fuit; donec addita Varronis, Ciceronis, Vergilij, reliquorumq́ue eruditisſimorum uirorum qui tunc floruerunt, lima, reiectisque quamplurimis uocibus obſoletis, quas maiores illi affectarunt, quibuſdam uero noue excogitatis, perpolitus, ac, ut ita dicam, perfecte conſumatus euaſit. Demum cum barbarorum ſæuiſſimi ad Italiam deuaſtandam, diripiendamq́ue confluxerunt, non ſine latinæ linguæ pernicie, totiusq́ue Reipublicæ literariæ calamitate, amiſſa romani ſermonis unà cum imperij maieſtate, lingua barbarie deprauata prorepſit; unde ortum duxit ea, qua nunc utimur, uulgaris nuncupata. Nec eſt mirum ſi locutionis uſus, ac rerum uocabula curſu temporis mutantur; cum & res ipſę, quarum ſunt nomina, intereãt; nosque homines, qui loquimur, morti tantopere ſimus obnoxij, & quotidie tanquam folia decidamus. Præterea quoniam aliqua ex uſu plerunque recedunt, hominum ſolertia multa in dies excogitat, quæ priſcos latuerunt. Nemo enim, quod ego ſciam, apud ueteres bellorum ſcriptores mentionem inuenit de æneis tormentis, quæ poſteri ad hominum interitum pernicioſe inuenerunt; alijsq́ue rebus quamplurimis, ac diuerſis inſtrumentis ætas noſtra utitur, quæ priſca ne ſomniauit quidem. Cum itaque res & nomina quæque ueterrima extincta deleri, nouaq́ue renaſci uideamus, ab uſitata loquendi conſuetudine non erit diſcedendum, atque uſu; qui eſt doctorũ conſenſus, optimusq́ue dicendi artifex; & ut auctor decernit, penes quem arbitrium eſt, uis & norma loquendi. Quapropter quemadmodum nunc iure uitio daretur, ſi quis latine ſcripturus Ennij uel Plauti uerba nimis antiqua potius, quàm Ciceronis aut Vergilij ſeligeret; ita fortaſſe non reprehendendus qui res nouas, dum à romano græco'ue fonte artificioſiorem compoſitionem non habebit, aut per plura uerba commode explicare non poterit, eo nomine, quo uulgus, nuncupabit. Adhæc ſeu romanæ locutionis deprauatione, ſeu ſcriptorum conſenſu uerba quædam latina à ſua nobilitate degenerarũt, inq́ue aliam ſignificationem demigrarunt. Cuiuſmodi imperator, qui prius ab exercitui imperando nomẽ

habuerat, nunc autem supremus est titulus, ac supra reges; Princeps apud priscos qui primus erat. Dux qui ducebat alios, unde dux exercitus; comes qui comitabatur. Nunc autem recentiores pro regulorum nominibus utuntur. quorum equidem duo prima similitudinis ratione quadam in ea significatione recepta sunt. quem enim principem hodie uocant primum inter regulos obtinere dignitatis gradum constat. Dux quòd ducere & moderate regere eos debeat, qui ipsius imperio obtemperant; boníque pastoris more suum pecus conseruare; quippe Homerus hac de causa reges atque ductores uocat ποιμένας λαῶν; potiusque tondere quàm deglubere. Comes uero cum comite quid habet commune? Idcirco cum hæc effingendi noua nomina libertas latiores habeat fines, quàm fortasse opinantur, nullo pacto admittendi sunt, meo iudicio, curiosi quidam; qui Iouianum Pontanum tanquam parum romana iura seruantem damnare conantur; quippe qui suis lucubrationibus nernaculæ linguæ sordes insperserit. neque animaduertunt id eum consulto fecisse, minimeque latini sermonis, peccasse ignoratione. percallebat enim uir ille naris emunctæ quantum loquendi consuetudo polleret; adeoque in sanctissimæ romanæ linguæ adyta penetrauit, ut sacris initiatus à Cicerone sacerdote cerimoniarum beneperito, omnia eius deæ mysteria didicerit.

DE RHYTHMIS. Præc. viij.

Res gestæ regumq; ducumq;, & tristia bella
Quo scribi possent numero, monstrauit Homerus.
Versibus impariter iunctis querimonia primum,
Post etiam inclusa est uoti sententia compos.
Quis tamen exiguos elegos emiserit auctor,
Grammatici certant; & adhuc sub iudice lis est.
Archilochum proprio rabies armauit iambo;
Hunc socci cepere pedem, grandesq; cothurni

Impariter aduerbiũ auctorem effinxisse docuit Terẽtius Scaurus.

Exiguos tenues, aut molles interpretatur Parrhasius an potius exiguos appellauit ad heroicum magnitudinem respiciens?

Pro soccis comœdorũ

Alternis aptum sermonibus, & populares
Vincentem strepitus, & natum rebus agendis.
Musa dedit fidibus diuos, puerosq; deorum,
Et pugilem uictorem, & equum certamine primum,
Et iuuenum curas, & libera uina referre.
Descriptas seruare uices, operumq; colores
Cur ego si nequeo, ignoroq;, Poeta salutor?
Cur nescire pudens praue, quâm discere malo?

calceamentis comoedias, pro grandibus cothurnis tragoedorũ, altiores ipsas tragoedias intelligit.

Libera uina nuncupauit, uel quòd liberos reddant homines in loquendo. tunc. n. cum Bacchus dominatur, secreta animi proferuntur. ac iure inquit uetus græcorũ paroemia ἐν οἴνῳ ἀλήθεια. uel quòd liberẽt animos à curis. unde Deus ipse liber dictus.

Hactenus de inuentione poetica, dispositione, elocutionisque artificio abunde disseruimus; nunc uero de numeris ad rem idonee & congruenter aptandis, quo'ue pacto materia quæque suis rhythmis, qui formam indunt, tanquam pictura suis coloribus decoretur, ordo postulat ut præcepta dentur. Ac primo res gestas, aut bella uersu heroico, quem Plutarchus uocat τελειότατον, μέτρον, conscribenda (argumentum enim, quod longam requirit seriem, non nisi heroico metro recte pertractari Aristoteles tradit) Homerus est optimus testis. Qui, etsi unus ex omnibus quid ipsum poetam deceat percalluit, in hoc præcipue, quòd sua poemata huiusmodi carminis genere absoluit, maxima dignus laude eidem peripateticorum principi uisus est. τὸ γὰρ ἡρωϊκὸν στασιμώτατον, καὶ ὀγκωδέστατον τῶν μέτρων ἐστί. Nam qui humile argumentum heroica tuba canens, sublime'ue tenui fistula, aut rebus abiectis carminis maiestatem, arduis'ue abiectionem addens, materiei congruentem figuram apponere nesciet, iure irridebitur; non secus atque pictor; qui, lugubrem hominem, moestum, sordidatum, & quodammodo lachrimantem exprimi cum deceret, purpureos ac splendentes colores insperserit; eumque lætum, hilarem, ac potius ridentem reddiderit. Elegos autem uersus; quanuis adhuc non satis liqueat, quis primus inuenerit (alij quippe Polymnestum Colophonium, alij Naxium Etheoclem furentem excogitasse asserunt) ad res funestas, luctuosasque adinuentos esse nomen ipsum ostendit. quod

Flebilis

a' commiseratione, uel potius luctu, questu'ue, auctore Suida, ἀπὸ τοῦ ἒ ἒ λέγειν, emanauit. Vnde lachrimans Ouidius docte & perapposite inquit

Flebilis indignos elegeia solue capillos,
Ah nimis ex uero nunc tibi nomen erit.

Quibus postea iuniores uoluptates, desideria, atque gaudia explicarunt; quotiescunque uoti compotes euaserint. Cuiusmodi illud Propertij;

O' me felicem, ò nox mihi candida, & ô tu
Lectule delicijs facte beate meis.

Ac rursus Ouidij.

Dicite io Pæan, & io bis dicite Pæan,
Decidit in casses præda petita meas.

Demum Tibullus, Propertius (ut græcos sileam) Ouidius q́ue amoris ardores, amantium q́ue feruẽtes affectus suis elegis depinxerũt; adeo a' proprio mœrore elegia ad lætitiam demigrauit. At ex quorundam aliorum sententia locus hic exponitur, non tantum ardentes amores elegis fuisse conscriptos, sed materiam omnem. Et sic conclusa fuit sententia compos uoti; nam prout cuique libitum, diuersas res eorum concentu cecinerunt. Conuitia uero, probra, maledicta, contumeliasq́ue iambico carmine ita, Aristotele teste, nuncupato, quòd eo ueteres ἰαμβίζειν, hoc est conuiciari inuicem soliti fuerint, recte explicabit, qui rhythmos materiei accommodare conabitur. quippe quod Archilochus in Lycambem socerum Neobolem filiam desponsam denegantem acerbe, & cõtumeliose inuectus adinuenit; tantoq́ue maledictorum ueneno insperfit, quòd eum, ne uiperino morsu amplius ulceratus uiueret, ad laqueum compulit. Vnde Cicero ad Atticum Archilochia edicta cõtumeliosa & uirulenta nũcupauit. Huiusmodi autem uersus ab inuentore Archilochius dictus comicis pariter, tragicisq́ue gratissimus, & tanquã alijs metrorum generibus ad suũ negotium magis idoneus, acceptus est. Siquidem, cum comœdiæ tragœdiæq́ue ab interloquentibus personis suum decus recipiant, uerbisq́ue ultro & citro absoluantur, hoc rhythmo ad alternos sermones explicandos aptissimo summopere gaudent. Qui quidem adeo in scena bene sonat, ut etiam perstrepente, atque exsibilante populi circũ

ſpectantis corona exaudiatur; uel ex quorundam interpretatione, nunquam ſatis laudatus; nam quamuis ei populus aſſentiatur, uulgi tamen laudes excedens maius præconium meretur. Præterea huiuſmodi metro conſilia rerum uaria, deinde acta, negotiorumq́ue diuerſi euentus, quales comœdia ac tragœdia pertractant, appoſite conſcribuntur. Sed ut melius ſtructura explicetur, magisq́ue ſenſus eluceat, repetẽdo rurſus auctoris uerba meam interponam ſententiam.

Hunc ſocci cepere pedem, grandesq́ue cothurni
Alternis aptum ſermonibus, & populares
Vincentem ſtrepitus, & natum rebus agendis.

Primo carmine archilochiũ metrũ in comœdiã, tragœdiamq́ue admiſſum tradit; duobus inde poſterioribus rationem addit; ac primo utriuſque communem. idcirco ſcilicet comœdiam iure accepiſſe, atque tragœdiam, quòd alternis colloquijs, & familiaribus explicandis ſit peridoneus; quibus ambas refertas uidemus. Et quòd iambicum metrum maxime ſermonum uiciſſitudini accommodetur, illud eſſe argumento Ariſtoteles tradit; quoniam in diſſerendo, collocutionibus'ue plurimi ſane iambi ore facilitate quadam, ac (ut ita loquar) naturæ inſtinctu emanant. Secunda ratio ad tragœdiam tantummodo attinere uidetur; ut intelligamus iambũ ſtrepitus plebeios excedere, ſeruorumq́ue ac uilium perſonarũ, quales comœdia amplectitur, diſcordias; & ad ſerias grauioresque res tragicas aſſurgere. Quæ quidem expoſitio meo iudicio nequaquam arridet. ita quippe Horatius ſibi ipſi non conſtaret; quo quid turpius? Viro præſertim doctiſſimo. Nam ſi carminis id genus comicam humilitatem aſpernaretur, tragicam'ue ſibi uendicaret altitudinem, quonam pacto ſocci accepiſſent? cum eiuſdem decreto uerſibus tragicis rem comicam exponi nunquam deceat. Niſi fortaſſe tragicocomœdia eſſet, ut quidam arbitrantur, utroque ſtilo tẽperata, nobilibus æque permixta perſonis, atque abiectis. Cuiuſmodi Plauti Amphitruo. Quapropter confuſe rationem aſſignare arbitror; cur comœdia tragœdiaq́ue pedem hunc tanquam peculiarem aſſumpſerint. Quia uidelicet ſermonibus aptus ſit alternis, natus quodammodo Dramatico poemati, uincens populares ſtrepitus; hoc eſt, optime exprimẽs, perfecteque

abſoluens populi rumores, lites, atque iurgia. ambæ enim uarios populi mores continent, uitæq́ue imaginem quaſi quandã oſtendunt. Nam qui aliquid recte explicat, abſoluitque ad unguem, uincere & ſuperare uidetur. Qua quidem ſignificatione inquit & Maro;

Nec ſum animi dubius, uerbis ea uincere magnum
Quàm ſit, & anguſtis hunc addere rebus honorem.

Sed iam ut ad reliqua traducatur oratio, ecphraſis admonet; à cuius quandoque finibus egredi impune liceat, dum auctori lux inferatur. Laudes Deorum, & heroum, qui eorum filij habẽtur, uocanturq́ue ſemidei, uerſu lyrico decantandas eſſe ex antiquorum hymnis patet; tum athletarum, pugilumq́ue palmas; & eorum, qui uictores ab olympico curſu reuertiſſent. Iuuenum quoque amores, ludos, comeſſationes, compotationesq́ue fidibus celebrari oportere, ut græcos omittam, teſtatur Horatius ipſe. Quæ quidem metrorum genera, quoniam lyra canebantur, quemadmodũ & nunc fortaſſe numeri hetruſci, odas nuncuparunt. Demum concludit auctor has deſcriptas uices, hoc eſt rhythmorum uarietates, quæ prout materia requirit adhiberi debent ab eo, qui inclytum poetæ nomen conſequi ſtudet, tanquam leges ære inciſas, eſſe ſeruandas. Cum alioquin iure exſibiletur, ut qui eruditionis minimum, arrogantiæ uero plurimum acquiſiuerit. Vnuſquiſque enim de ſudare in ijs, quæ neſciat, ac ſummopere elaborare debet, manumq́ue etiã, ſi oportuerit, ferulæ ſupponere. Nam qui cæco ſui ipſius amore irretitus, falſæ'ue exiſtimationis crimine præpeditus ea, in quibus hæſitat, addiſcere repudiarit, merito tanquam ſtultus, inſolens, rerumq́ue omnium inſcius accuſabitur. Quod quidem hac ætate pluribus uſu uenire quis eſt, qui neſciat? Vix enim re metrica, utcunque potuerint, deguſtata ſtatim altius euolãt, condendiſq́ue poematis ſeſe accingunt. Quòd ſi tria, uel quatuor ad ſummum epigrãmata abſque pedum claudicatione ediderint, digito cœlum attigiſſe ſibi uidentur. Atque utinam illud Solonis mente fixum haberent; γηράσκω μὲν ἀεὶ διδασκόμενος. Reliquum eſt, quid Horatius per operum colores innuat, cum multi multa, ac diuerſa tradant, enucleare. Quidam enim colores, operum proprietates interpretantur; quippe aliam tra-

gœdia, aliam comœdia postulat. Alij uero causas probabiles; quæ decus suum, ac poeticam dignitatem dant operibus; adducuntque exempla quædam comica. Sed harum opinionum utra magis uero sit propior, doctorum uirorum sit iudicium. Non enim nostrum est institutum quenquam subsannare. promam tamen quod sentio. Ac per colores operum rhythmos intelligo; à quibus tanquam à forma, præstantiori parte, poetæ cognomentum sortiuntur. dicuntur enim qui iambis utuntur iambici, qui elegias conscribunt elegiographi, qui exametris uero poemata absoluunt epici. Nam quemadmodū duo sunt, quæ in pictura requiruntur; tabella inquam ipsa, ut materia figuram expostulans; ac diuersi colores, qui symmetria, beneque structa collocatione formam addunt, & nomen. Si enim pictum hominem conspexero, hominem â specie, & non a' materie tabulam nuncupabo. Ita in poesi duo præcipua considerantur; rerum uidelicet, quæ tractandę a' poeta sumuntur, materia; ac numeri, a' quibus informatur, efficiturque suis coloribus distincta. Eum itaque locum habent rhythmi in poemate, quem colores in pictura. Nam, etsi à quibusdam grammaticis accipiūtur poetici colores alia longe significatione, quàm numerorum, dicunturque apud rhetoricos orationis ornamenta: tamen recte Horatij sensum perpendendo, decus profecto atque ordinem nequaquam seruasset, si orationis colores, aut schemata, adhuc de metris præcepto non absoluto, quæ nihil cum ipsis habent commune, potiusque ad grammaticos spectare uidentur, interposuisset. eo' quidem magis quòd statim subdit.

Thyestes Pelopis filius Atrei fratris uxorem compressit. cui ille postea facinus facinore ultus filios comedendos apposuit. notissimum tragœdiæ argumentum.

Versibus exponi tragicis res comica non uult;
Indignatur item priuatis, ac propè socco i. comœdia — i. no[...]
Dignis carminibus narrari cœna Thyestæ. — i. Trag[...]
i. numeris, uerbis, sētentijs

Nunc regulam eandem pauloante datam idem alijs uerbis repetens dilatare mihi uidetur; ab hac uidelicet rhythmorum norma nullo modo esse discedendum, materiamque omnem appositis numeris conscribendam. Res enim comica humiliori metro, pri

uato sermone, & quodammodo seruili gaudens, altiori, turgido, atque regali nunquam decore explicabitur; minusque commode tragica grandiloquium requirens summisso & abiecto numero absoluetur. Quippe tragœdia, Aristotelis sententia, Epopoeiæ est persimilis; quòd metrico sermone ambæ prestantium imitationem personarum complectuntur. adeo ut qui de uirtute, uitio'ue tragœdiæ bene dijudicauerit, idem & de exametris rectum poterit iudicium propalare. Quamuis aliqui arbitrentur hic auctorem uersus ponere pro stilo, ut sit sensus; comœdiam tragico elatoque stilo, contra'ue tragœdiam comico & abiecto exarari minime debere. Nam ut Aristoteles idem decreuit, eo differt tragœdia à comœdia quòd cum omnis poesis imitatio quædam sit, hęc humiliores, illa præstantiores imitantur, deos puta, atque heroas; quos antiquitas tantopere celebrabat.

DE DECORO, ATQVE AFFECTIBVS EXPRImendis. quæ res ad actionem pertinere uidetur.

Singula quæque locum teneant sortita decenter.
Interdum tamen & uocem comœdia tollit,
Iratusq; Chremes tumido delitigat ore;
Et tragicus plerunque dolet sermone pedestri.
Telephus & Peleus cum pauper, & exul uterque
Proijcit ampullas, & sesquipedalia uerba,
Si curat cor spectantis tetigisse querela.
Non satis est pulchra esse poemata, dulcia sunto,
Et quocunque uolent animum auditoris agunto.
Vt ridentibus arrident, ita flentibus adsunt
Humani uultus. si uis me flere, dolendum est
Primum ipsi tibi, tunc tua me infortunia lædent.

Euripides taxatur ab Aristophane, quòd Telepho & Peleo regno pulsis uerba nimis superba dederit. Parrh.

Pro ampullis uerba turgida, inflata, & gloriosa intellige; qualia regum. quæ sesquipedalia uocat, quòd iustã mensurã excedẽtia mora quadã nimia, ac maiestate, ut ita loquar, proferuntur.

Telephe uel Peleu male ſi mandata loqueris
Aut dormitabo, aut ridebo. Triſtia mœſtum
Vultum uerba decent, iratum plena minarum,
Ludentem laſciua, ſeuerum ſeria dictu.

Omnes qui poeticam prouinciam ſuſceperint, pro ſuo iudicio maxime quid deceat animaduertant, ut unicuique perſonę ſuę partes tribuantur; ipſumque decorum obſeruent; cuius ignoratione non modo in uita, ſed ſępiſſime in poemate, & in oratione peccatur. ἔστι γὰρ μέγα πρεπόντως χρῆσθαι, inquit Stagirita. Nam etſi pauloante ſtatuimus comœdiam humili ſtilo, ac uerſu conſcribendam, tragœdiamque ſublimi & elato; nihilominus materia, quę tractatur, quandoque cogit, interloquentiumque conditio, ut altera alterius ueſtem induat. Comœdia inquam ipſa in tragicā altitudinē decentiſſime extollatur, equeſtremque ſermonem, quemadmodum Terentius iratum Chremetem inducit tumido ore exclamantem, ô cœlum, ô terra, ô maria Neptuni. Ruſiimque tragœdia in comicam humilitate, pedeſtremue orationem deprimatur. Nam ſi Telephus aut Peleus; qui cum quondam reges fuerint, regno deinde pulſi, calamitoſi atque afflicti latum ſcribendi campum tragicis prębuerunt; paupe res, extorres, & mendici in tragœdia introducerentur; oporteret eos uti ſermone depreſſo ac ſummiſſa uoce; ut de ſua ærũnoſiſſima uita querentes ſpectatores ad lachrymas commoueant. Quis enim tam ferreus eſſet, qui reges mœſtos, ſordidatos, ſtatumque ſuum deplorantes, educentesque ab imo pectore ſuſpiria ſiccis oculis aſpiceret? Enimuero cum oratoris proprium ſit omnes animorum motus, quos hominum generi rerum natura tribuit, penitus pernoſcere; nam omnis uis ratioque dicendi in eorum, qui audiunt, mentibus aut ſedandis, aut excitandis exprimenda eſt, ut finem perſuadendi attingat; cumque Ciceronis ſententia poeta finitimus ſit oratori, numeris paulo aſtrictior, uerborumque licentia liberior; nõ ſatis erit ſi pulchrum, politum, ornatumue poema condat, niſi etiam ſuaue, iucundum, flexanimum; aut quod recte affectiones explicans quo-

cunque libeat auditoris animum compellat. Idque fortasse non ea difficultate quisque assequetur, qua arbitrantur. si uidelicet eos affectus, quos audientibus incutere uolet, non absque animi impetu, atque ardore inflammatus euomuerit. Nunquã enim spectator ad mœrorem, luctum'ue adigetur, ni prius loquentem ipsum mœrore affectum, lugentem'ue aspexerit. Nam quemadmodum à natura ipsa hominibus est inditum, ut ridentibus arrideant, hilaritatemque uultu ostendant; ita flentibus tristitiam, squalorem, lachrymasque præ se ferunt. Hi quoque suapte natura maxime persuadent, Aristotele teste, qui perturbationibus affecti sunt; quo fit ut exagitatus exagitet, perturbetque uerissime perturbatus. Nullo quippe modo fieri potest, inquit Cicero, ut doleat is qui audit, aut oderit, aut inuiderit, aut pertimescat aliquid, aut ad fletũ, misericordiamque deducatur; nisi omnes hi motus, quos orator illi adhibere uolet, in ipso oratore impressi atque inusti uidebuntur. Praeterea qui personæ cuique congruentem orationem nequaquam tribuet, nullo pacto attentos animos, patentes'ue aures habebit; quinimo spectantium cõsessum ad somnum aut irrisionem prouocabit, dignus equidem, qui eijciatur, ac tota cauea exsibiletur. At quoniam uultus est imago animę, mentisque sermo quidam tacitus, idcirco eum orationi, ac materiæ qui loquitur adaptare debet, rebus inquam minacibus iratum, tristibus mœstum, lętis hilarem, grauibus austerum, et, si de rebus serijs loquatur seueritatem adhibeat, si de iocosis leporem. Demum illud scitu fortasse non erit iniucundum, quòd quemadmodum pulchrum animal, aliud'ue quippiam ex aliquibus compositum, Aristotelis sententia, non ordine tantũ, membrorumque omnium compactione ac symmetria dicitur; uerumetiam & congruenti magnitudine; siquidem unumquodque pulchrum ex magnitudine constat atque ordine; ita & in poematibus magnitudo, qualis in Homericis ac Maroniano, requiritur, ut pulchra iure dici mereantur, eò quidem magis, quòd mediocritas in poesi nullo pacto conceditur.

Format enim natura prius nos intus ad omnem
Fortunarum habitum; iuuat, aut impellit ad iram,
Aut ad humum mœrore graui deducit, & angit;

Formatu. n. 24. Ratio praecepti. Si n. lingua animi interpres est, oportet ut ea quę exprimit, prius aio impressa uideant.

abitũ. i. in ... et qualitate. ... bonarum q̃ ma...

i. exagitat. iuuat. i. ꝓhibet ne irascaris. ad humũ. i. ad humilitatem, et obiter alludit ad antiquum morem, qui ...rat, ut in mœrore ꝓstrati iacerent. Testinat quemcũq;

Post effert animi motus interprete lingua.
Si dicentis erunt fortunis absona dicta, i. non conuenientia.
Romani tollent equites, peditesque cachinnum.

Effert. i. manifestat aperit.

T. i. uniuersus populus, nisi mauis allusu esse, ad Equestrē ordinē, cui ius erat spectandi in orchestra.

Assignat nunc auctor animi motus exprimendi modum, repetens eorum, quæ dixit, breuem quandam rationem. Vnusquisque enim naturaliter uarijs perturbationibus obnoxius, intus in pectore cum gaudio, excandescentia, mœrore, alijsque id genus affectionibus moueatur, nunquam alios accendet; nisi oratione, quæ a' deo ad exprimēdos animi sensus concessa hominibus est, inflammata eosdem impetus atque ardores expresserit. Quod quidem nullo pacto commode fiet; nisi uicissim ipse animo affectus ad dicendum prodeat. & hinc iure opinabatur Cicero Pacuuium, cum Telamonem iratum luctu filij furentemque induceret, leni animo ac remisso nequaquam fuisse; sæpe enim audisse fatebatur poetam bonum neminem (id quod à Democrito & Platone in scriptis relictum esse constat) sine inflammatione animorum existere posse, & sine quodam afflatu quasi furoris. Vnde longe opinione falluntur, ut ego arbitror, qui quosdam poetas uersus amatorios, ni mauis græce ἐρωτικούς, ipsos amore non incensos ardenter edidisse opinantur. Nam quemadmodum cupidinis uim nemo unquam, nisi eiusdem prius telis confossus, uere atque ex animo explicabit; ita & rem funebrem nullus uir, etsi eruditissimus, apte conscribet; nisi dolore affectus, eo quidem animi mœrore ad condenda carmina accesserit. Sed quid plura? Nemo est adeo iudicij, poetarumue lectionis expers, qui non animaduertat tunc maxime poetam quenque legentem concitare; cū ipse uero animi motu, & quodam quasi furore inflammatus cecinerit. Quis enim epigramma illud, uel potius epitaphium a' doctissimo Catullo in fratris inferijs non sine suspirio, ac gemitu ab intimo corde emissum legat? quin pallore uultum mœstitia decoloratum reddat, uox admiserabilem sonum inflectatur, oculique lachrymarum uim profundant? Quod quidem tanquam speculum, in quo affectionum uim omnem, atque ardorem intueri quisque possit, hic apponere fortasse non dedecebit.

Multas per gentes, & multa per æquora uectus
Aduenio ad miseras frater ad inferias;

Vt te postremo donarem munere mortis,
  Et mutum nequicquam alloquerer cinerem.
Quandoquidem fortuna mihi tete abstulit ipsum,
  Heu miser indigne frater adempte mihi.
Nunc tamen interea prisco quæ more parentum
  Tradita sunt tristes munera ad inferias
Accipe fraterno multum manantia fletu;
  Atque in perpetuum frater aue, atque uale.

Poeta itaque uolens audientes legentes'ue suis carminibus commouere, prius debet ad unumquenque fortunæ habitum seipsum informare. Vt si lætum hominem inducere uelit, iratum, aut mœstum; necesse est, ut prius quàm manum paginæ admoueat, lætitiam, iram, aut mœstitiam ipse animo concipiat; afficiaturque uere perturbationibus illis, ut optime exprimat. Si quidem mentis conceptus congruentia uerba subsequũtur, quæ Aristotelis sententia sunt τῶν ἐν τῇ ψυχῇ παθημάτων σύμβολα. Quòd si quispiam legem hanc non obseruans interloquentibus personis eam orationem tribuerit, quam secunda aut aduersa fortuna minime postulare uidetur, ab uniuerso consessu, equitibus pariter & plebe irridebitur.

DE PERSONARVM DIVERSIS CONDITIONIBVS, ATQVE NATVRIS.

Intererit multum Dauus ne loquatur, an Heros,
Maturus ne senex, an adhuc florente iuuenta
Feruidus, an matrona potens, an sedula nutrix,
Mercator ne uagus, cultor ne uirentis agelli.

Animaduertendum est omnino, ne tantummodo poetæ ad secundam aut aduersam fortunam respicientes, eos, qui prospero ipsius utantur flatu, gaudio exultantes gestientes'ue introducere, aut contra eadem reflante mœstos atque afflictos, uarijsque affectionibus congruentem sermonem effingere satis ducant. Nam & diuersæ hominum, quos loquentes fabulæ suscipiunt,

conditiones, qualitates, atque naturæ diligenter obseruandæ; ut is decor cuique tribuatur, quem status postulet. obscurus in quam personis ignobilitas, illustribus nobilitas, humilimisque abiectio tanquam proprij colores ascribantur. Interest enim non parum, interloquatur ne seruus an herus (ut heroa pro domino accipiamus) quippe illum, cuius uis & fortunæ conditio infima est, ut inquit Cicero, cõtemptũ, summissum, semperque dicto audientem esse oportet; cum dominus famulis opera facinda imponere, recteque imperare debeat; uerbera autem, & uincla non, nisi cum oportuerit, adhibere. Ni mauis simpliciter pro Dauo personam quamlibet infimam & abiectam, pro heroe præstantiorem, inque amplissimo dignitatis gradu locatam intelligere. Nam alioqui scriptor personæ cuique congruentes mores, prout eius uita ac natura postulare uidentur, non assignans, pictori iure comparabitur; qui pulcherrimum formaque præstantem iuuenem in tabella effingere conatus, luscum, gibberum, loripedem, simis naribus, labeonem depingeret; tandemque pro Ganymede Thersitẽ Homericum illum ostenderet. Qui αἴσχιστος ἀνὴρ ὑπὸ ἴλιον ἦλθε,

φολκὸς ἔην, χωλὸς δ᾽ ἕτερον πόδα, τὼ δέ οἱ ὤμω
κυρτὼ ἐπὶ στῆθος συνοχωκότε, αὐτὰρ ὕπερθεν
φοξὸς ἔην κεφαλὴν. ψεδνὴ δ᾽ ἐπενήνοθε λαχνή.

Quòd si senex inducatur, maturitatem, quæ peculiaris eiusce ætatis est, retineat; rebusque agendis accuratam circumspectionem adhibeat; celeritatemque cunctatione compensans semper illud mente fixum habere ostendat, σπεῦδε βραδέως. Nam iuuenis adhuc florente ætate ferox, sanguineque, ut aiunt, efferuescente uehemens, ac uiolentus impetu animi potius, quàm consilij tarditate cuncta aggreditur. Matrona uero opulenta, pollens, fucata, ancillarumque comitatu inflata, pariter uentris atque animi tumorem cum præ se ferat; nutricem uel pedisequam sedulam, diligentemque ad munus suum omnia illius mandata exequi summo studio decet. Rursus poeticis pigmẽtis mercatorem informare qui uolet, decus seruabit; si eum huc atque illuc passim uagari, ac toto foro uolitare, negotiumque suum haud otiose agere finxerit. quippe qui coaceruandæ causa pecuniæ impiger ad extremos currit Indos; ac sæpenumero

nauim iactantibus austris, sortem ualde suam dolens militiam nuncupat potiorem. Demum agelli cultor effingẽdus erit egẽs, atque tenuis; ut qui terminos agelli sui nunquam aut raro excedens, paruuli ruris fructibus, ac uoluptatibus contentus, uitamq́ue degens securam cum bobus ac uomere, procul ab omni molestia & perturbatione, ea felicitate gaudeat; quam Apollo Pythius Aglao Psophidio arcadum pauperrimo tribuit. adeo ut de eo merito Maronianum illud prædicetur.

Fortunatus & ille, deos qui nouit agrestes,
Panaq́ue Siluanumq́ue senem, nymphasq́ue sorores.
Illum non populi fasces, non purpura regum
Flexit, & infidos agitans discordia fratres.
Aut doluit miserans inopem, aut inuidit habenti.
Quos rami fructus, quos ipsa uolentia rura
Sponte tulere sua, carpsit. & reliqua.

Colchus an Assyrius, Thebis nutritus an Argis.

Ad hæc natale solum a' poeta perspiciendum, cœliq́ue clima, in quo quisque natus, educatusq́ue sit; cum diuersæ gentes, ac nationes inter se diuersis moribus ac naturis differant. Scythæ enim, Firmico auctore, feri sunt atque inhumani; Itali semper regali nobilitate præfulgidi; Galli stollidi; Græci leues & fallaces, quorum familiaritates parum fideles uocat Cicero; Aphri subdoli ac bilingues, apud quos inhumana crudelitas, perfidia plusquam punica, nulla fides, nulla religio, nullus deorum metus, nullum iusiurandum, nihil denique ueri, nihil sancti; auari Syri; acuti Siculi; luxuriosi semper Asiani, & uoluptatibus occupati; Hispani elata iactantiæ animositate præposteri; demumq́ue Græci artibus, Hispani numero, Galli robore, Pœni calliditate pollent; inquit Cicero. Vnde haud immerito Vegetius, quibus e' regionibus tyrones eligendi sint, præcipiens asserit, cœli plagam ad robur non tantum corporum, sed etiam animorum plurimum ualere. Quippe nationes, quæ nimio solis ardore exsiccantur, minus habere sanguinis arbitrantur; & propterea constantiam, aut fiduciam pugnandi

nullam; metuunt enim uulnera qui exiguum sanguinem habere se nouerint. Contra septentrionales populi remoti à solis ardoribus inconsultiores sunt, largoq́ue sanguine redundantes ad bella promptissimi. At qui in temperatioribus plagis oriuntur, & sanguinis copiam habent ad uulnera contemnenda, & prudentiam circumspectionemq́ue in dimicãdo. Praeterea non tantum regionis, uerumetiam & urbis, in qua quisque genitus, habendam esse rationem, cum singulae ciuitates suos habeant mores & instituta, iubet auctor; dum de Thebano atque Argiuo meminit. Nam Colchus & Assyrius prouincias denotant.

DE PERSONIS INTRODVCENDIS. Prae. xij.

Orestes post maternã caedem tãti sceleris cõscientia cruciatus in perpetuũ moerorem, ac deinde furorem incidit. Quĩ morbus à medicis melãcholicus nuncupatur. Quam rem poetae fabularũ inuolucro cõtegentes eum à furijs agitatũ effinxerunt.

Aut famam sequere, aut sibi conuenientia finge
Scriptor; honoratum si forte reponis Achillem,
Impiger, iracundus, inexorabilis, acer,
Iura neget sibi nata, nihil non arroget armis.
Sit Medea ferox, inuictaq́; flebilis Ino;
Perfidus Ixion; Io uaga; tristis Orestes.

Cum generaliter de unicuique personae decoro tribuendo pauloante praeceperit, nunc ordinatim ostendit, quae personae in fabulas admittendae, distinctionem quandam subijciens; quandoq́ue scilicet notas, ut quae à prioribus poetis celebratae fuerint, introduci; & tunc famae maiorum, atque existimationi adhaerendum; id est quam opinionem habuerint qui de eis prius scripserunt, eam seruent & posteri. uel si aliquid noui depromendum esset, fingant conuenientia, congruentes'que mores tribuant, minime ab illis discrepantes, quos prisci auctores indiderunt. Exempli gratia si Achillem ab Homero poetarum principe adeo celebratum, decantatumq́ue, ut ab Eustathio doctissimo interprete φιλοαχιλλεύς cognomento uocetur, reponere, aliud'ue de eo poema contexere uelis; fac effingas talẽ,

qualem ille prius informarit. appareat inquã in tuo opere impiger, iracundus, inexorabilis, acer, parumque legibus obtemperans; ut qui ius fasque paruipendens omnia armis arroget. Quæ quidem ad ferocem natura militem spectare uidentur. Sed notandum, impigrum atque acrem uocasse Achillem eiusdẽ Homeri exemplo; a' quo ποδάρκης aliâs nuncupatur, πόδας ὠκύς aliâs non sine summa laude. Inter alia enim corporis bona non paruiducendum est cursu præstare. Ad cursum, inquit Vegetius, præcipue assuefaciendi sunt tyrones, ut maiore impetu in hostem currant, ut loca opportuna celeriter, cum usu uenerit, occupent; uel aduersarijs idem facere uolentibus præoccupent; ut ad explorandum alacriter pergant, alacrius redeant; utque fugientium facilius terga comprehendant. Vnde Maro Camillam Volsca de gente ut bellatricem ac uiraginem, quippe colo calathisue Mineruæ non erat assueta manus, sed prælia dura pati, laudibus extollens ei summæ gloriæ tribuit, quòd pedum cursu uentos præuertebat. Quinetiam Homerus alibi Antilochum â cursu ita laudauit;

Ἀντίλοχος περὶ μὲν θείειν ταχὺς, ἠδὲ μαχητής.

Papyrius quoque e' Romanorum ducibus contra Alexandrum Macedonem, cum Italiam inuadere statuisset, imperator designatus, cursoris cognomentum à pedum pernicitate adeptus fuit. Agilitas denique ad currẽdum cum corporis uiribus ad reliquas exercitationes tertium humanorum bonum, cum primum sit sanitas, secundumque pulchra forma, à Platone habetur in legibus. Cæterũ quàm Achilles iracundus fuerit, atque inexorabilis, abunde ex longa non modo contentione, sed pene' dimicatione, quam cum Agamẽnone habuit, apud Homerum cognosces. ei quippe iracundia inerat tanquam animi habitus.

Si quid inexpertum scenæ committis, & audes
Personam formare nouam, seruetur ad imum
Qualis ab incepto processerit; & sibi constet.

Absoluit nunc auctor distinctionis, quam diximus, partem alteram. Vt si quis forte nouam personam, de qua maiores nequaquam meminerint, inducere uelit, summa ope niti, animumque ad id maxime aduertere debet; ut quos mores ab initio ei dederit, quamue naturam, ad finem seruare faciat; ne sibi ipsi non

constare uideatur. absurdum enim esset admodum, si quem a' principio grauem atque seuerum effinxerit, operis progressu scurram, aut prodigum auarum, audacem'ue timidū ostendat. Vnde Maro passim toto poemate Aeneam suum ob singularē pietatem summis laudibus ad cœlum extollens à quibusdam lacessitur, quippe qui sibi contrarius eum postremo impium, inhumanumque inducat. si enim clemens, misericors, ac maxime pius erat, non'ne hac Turni supplici prece, humilique obsecratione flecti oportuerat?

Equidem merui, nec deprecor, inquit,
Vtere sorte tua; miseri te si qua parentis
Tangere cura potest, fuit & tibi talis
Anchises genitor, Dauni miserere senectæ.
Et me, seu corpus spoliatum lumine mauis,
Redde meis; uicisti, & uictum tendere palmas
Ausonij uidere. Tua est Lauinia coniux.
Vlterius ne tende odijs.

Nihilominus desinant critici tantum uirum subsannare; quem potius tanquam artis poeticæ iubar admirari, ac suspicere maxime decet. Subdit enim iustam iræ causam, ulciscendique libidinem; qua accensus Aeneas iure quodammodo Turni in aduerso pectore ferrum condidit. Et iam si recte poetæ uerba perpendantur, tunc quoque illum ad ignoscendum propensum quisque deprehendet. Inquit enim.

Et iam iamque magis cunctantem flectere sermo
Cœperat; infelix humero cum apparuit alto
Balteus, & notis fulserunt cingula bullis
Pallantis pueri; uictum quem uulnere Turnus
Strauerat; atque humeris inimicum insigne gerebat.

Patet igitur quòd Aeneas supplici Turni prece iam flecti cœperat, uitam profecto condonaturus, ni Pallantis balteum conspexisset; quem pro Troianis acerbissima morte affectum, & quæ infelici Euandro ad bellum discedens promissa dederat, mente recolens, iustissimus ultor merito interfectorem luce priuauit.

DE IMITATIONE ATQVE CONVERTENDIS FABVLIS. Vrac. xiij.

Difficile est proprie communia dicere; tuq; Communia, non priuati iuris; quibus omnes uti possint.
Rectius iliacum carmen deducis in actus,
Quâm si proferres ignota, indictaq; primus.
Publica materies priuati iuris erit, si
Nec circa uilem, patulumq; moraberis orbem;
Nec uerbum uerbo curabis reddere fidus
Interpres.

Quoniam Flacci ætate græcos, quorum monumentis disciplinæ omnesque artes ingenuæ illustratæ fuerant, tum præcipue poesis ipsa, partim imitando, partim autem interpretando uertendoque poemata exarabant; adeo ut fabulæ nonnullæ latinæ ad uerbum de græcis expressæ fuerint: idcirco de imitatione, cõuertendisque fabulis aliquid præcipere consentaneum duxit. Quæret aliquis forsitan, cur Horatius hic imitationem tantopere extollat; potiusque transferendam esse à græcis materiam, quàm nouam proferre moneat. cum alibi se iactans dicat;

Libera per uacuum posui uestigia princeps,
Non aliena meo pressi pede; qui sibi fidet
Dux reget examen;

Innuens doctum uirum, ingenijque uiribus fidentem non alieno auxilio, sed, ut dicitur, marte suo unumquodque opus aggredi, atque perficere. Sciat qui de hoc ambiget Romanos, ab urbe condita per multos annos Reipublicæ tantũmodo administrationem, imperij incrementum, atque arma digna duxisse, in quibus elaborassent; doctrinas uero, omniaque literarum studia neglexisse; ut qui eorum emolumentum ac suauitatem non dum degustarant. Poesis enim Romæ sero in lucem prodijt. Nam CCCCX. annis fere post cõditam urbem Liuius An

dronicus primus fabulam cōſcripſit. Philoſophia uero donum & inuentum deorum ad Ciceronis uſque ætatem latuit; quam ipſe latinis literis (ut empedoclea dogmata omittam, quæ Lucretius latinis carminibus explicauit) quantum amicorum cauſæ, atque Reſpublica otij dabant, illuſtrandam ſuſcepit. Poſtea uero quàm literæ, ac diſciplinæ paulatim in honore, qui quidem alit artes, eſſe cœperunt, tot florentia, ac penè diuina ingenia in earum ſtudio deſudarunt; à græcorum lateribus nequaquam diſcedendo; à quibus philoſophiam, omneſque ingenuas diſciplinas habuiſſe ingenue fatetur Cicero. adeo ut pauci tunc latine ſcripſerint, qui ab illis non mutuati fuerint. Et, ut de principibus tantum loquar, nonne Cicero in philoſophicis libris modo Stoicos, modo Platonem integrum, & præcipue in officijs Panætium expreſſit? Lucretius nonne totum Empedoclem hauſit? Demumque Maro nonne Homerum, Heſiodum, atque Theocritum tanquam auidiſsimus helluo exorbuit? Nā quemadmodū Græci à Phœnicibus, qui ab Aegyptijs, doctrinas acceperunt, ſic & Romani ab illis. imo Romana lingua adeo cum græca conuenire uidetur, ut iure quodā affines, ſororeſque iudicentur. Animaduertens ergo Horatius noſter quantum Romani eiuſmodi cum imitatione, tum interpretatione indigebant, ut ſermo eorum locupletaretur, omneſque ſcientiæ græcorum, arteſque tranſmarinæ in Latium commigraſſent (quod quidem Latini ferè aſſecuti ſunt hodie, & fortaſſe quæ à Græcis acceperunt meliora, & perfectiora reddiderunt) conſiderās quoque quàm difficillimum ſit nouam materiam, aut incognitā proferre, merito decreuit ſatius eſſe, ab Homeri Iliade carmina in ſcenam transferre, quàm poema noui incognitique argumenti edere. eo magis quôd ille, ut aſſerit Ariſtoteles, μιμήσεις δραματικὰς ἐποίησεν, καὶ τὰ τῆς κωμῳδίας σχήματα πρῶτος ὑπέδειξεν οὐ ψόγον ἀλλὰ τὸ γελοῖον δραματοποιήσας. ὁ γὰρ μαργείτης ἀνάλογον ἔχει ὥσπερ ἰλιὰς, καὶ ὀδύσσεια πρὸς τὰς τραγῳδίας, οὕτω καὶ οὗτος πρὸς τὰς κωμῳδίας. Quod quidem quemadmodum fieri oporteat, regulam ſubdit; Rem ſcilicet publicam, hoc eſt notam, peruulgatam, à Græciſque antea conſcriptam effici priuatam, ac ſuam cuiuſque propriam, ſi non totum opus, quod imitandum ſumpſerit, amplexabitur; materiam'ue omnem continuata rerum ſerie, ac ueluti ab initio ad

tio ad

tio ad finem peracto circulo latinã reddiderit. nam locis uilibus ac uulgaribus, nimis tritis & communibus non est insistendum; quæ neque præstantia neque nouitate legentibus oblectationẽ allatura existimentur. adhibendum ergo erit acre iudicium; ut lectu digna, & quæ uoluptatem præbeant conuertantur, indigna uero omittantur (nam Aristotelis sententia qui rem imitandam non imitabilem sibi proposuerit, sponte sua in peccatum incidit) & pleraque de proprij ingenij thesauris depromantur; ne semper imitator ex alterius ore loqui, & tanquam Echo quędam uerba uerbis reddere uideatur. cum alioqui poema concinnum, atque egregium nequaquam euadat; imo tanquam res uilissima nulliusque momenti contemnatur. nam quæ omnibus patent, affluentemq́ue sui copiam præbent, pro nihilo habẽtur. Quod quidem studiose diligenterq́ue, ut omnia, curauit Maro, Homerum imitatus. Sumpsit enim ab eo tantummodo operis formam; & quæ splendorem dignitatemq́ue suo poemati datura uidebantur, surripuit. Quando uero lineam decori eum transisse animaduertebat (fieri quippe non potest, ut quandoque Homerus non cæcutiat) ipse alieno periculo factus cautior accurate agebat. adeo quòd unus omnium imitationis scopum attigisse mihi uidetur. Poema denique, quod imitandum suscipimus, debet esse exemplar & imago quasi quædam; ad cuius similitudinem opus suum quisque effingat; totum inquã corpus, & non partes singulas conformet. Nam qui uerbum è uerbo exprimit, interpretis munere fungitur. & quod maius, qui uertit etiam minime uerbum uerbo, sed sensum sensui reddere debebit; cum pleraque in contextu græco splendeant, quę, si ad uerbum transferantur, latinam structuram omnino deformabunt. Multi præterea sensus græce paucis absoluũtur, quos latine pluribus explicare oporteat; ut ob uerborum concinnitatem sententia arrideat. Vnde qui græcos nonnullos auctores latinos reddiderunt, hoc uitio laborarunt; dum scilicet fidi interpretes uerbum de uerbo exprimere tentarunt, orationẽ asperam, horridam, incultam, atque concisam effecerunt; adeo ut uix latinam locutionem redoleat. Quod quidem Boetio usu uenisse arbitrantur; seu quicunque alius primus Aristotelem latine loqui fecit. Verum ne indicta causa talis uir latinæ philo-

sophiæ parens iure uocandus cōdemnetur, ampliandi detur potestas. Ac primo distinguendum. Nam aut historias conscripserunt Græci auctores, quos in Latium quispiam traducere nititur; & tunc lex conuertendi, quam tulit auctor, omnino seruanda. nihil enim interest si uerba negligantur, dummodo sententiæ diligens ratio habeatur. quippe ab historia nil amplius, quàm res gesta desideratur. aut orationes. quæ quidem non tātum sensa, uerumetiam uerba perapposita ac recte collocata, ornamentaque dicendi, quæ colores uocantur rhetorici, expetūt; ut concinnæ, distinctæ, ornatæque uideantur. aut disciplinas. & tunc quoad eius fieri poterit uerbum uerbo reddendum; unaquæque enim uox accurate est pensitanda, ut sensus patefiat. Quod equidem in Aristotele ipso enucleando cui nō est perspicuum? sæpe enim ac sæpius δὴ aut δὲ, aliæque id genus minimę contextus particulæ ponderandæ occurrunt; quæ si omittātur, philosophi ordo, qui mirificus habetur, nequaquam continuaretur. Vnde merito doctorum hominum consensus obtinuit, ut in publicis Gymnasijs antiqua tralatio exponatur. Nā alij politam structuram reddere conati multa intermiserunt; quę alioqui ad sensus integritatem spectabant. constat enim, eiuscemodi auctores non elegantiæ, sed doctrinas acquirendi causa a studiosis uolui; eò magis quòd philosophorum oratio mollis, casta, uerecunda, uirgo incorrupta quodāmodo, ut quę omnem fucum aspernetur, potiusque sermo quàm oratio esse debeat. De poematis autem conuertendis longe alia est ratio. Nam quē admodum imitatio probanda est, ita minime laudandi meo iudicio recentiores quidam græcos poetas ad uerbum uertentes, latinis'ue carminibus græca carmina explicantes; qui profecto neque emolumentum, neque delectationem præbent.

Nec desilies imitator in arctum,
Vnde pedem proferre pudor uetet, aut operis lex.

Prosequitur hic demum præceptum ultimum in imitatione obseruandum; ne dum imitando quispiam cuncta uelit consectari, ex amplissimo poetarum campo in eas angustias incidat, eosque cancellos sibi circundet; unde amplius egredi non liceat, minimeque in euagationes illas poetarum, quæ operis sunt condimenta, angusto loco circunclusus egredi possit. Nam qui cer

Cyclopes filij fuerunt Neptuni et Amphitritis, ministri Vulcani prope Aetnā Siciliæ montem, qui Jouis fulmina efficere fingunt apud Lipara, quæ ē una ex Aeolijs insulis: et hoc fortasse ob id, qd primi ferri usu inuenerint. Sic dicti, qd unū oculū orbicularē in fronte haberent. est n. κύκλος circulus, ὢψ aspectus, oculus. Verg. Aen. 8. Ferrū exercebant uasto Cyclopes in antro. Brontesq;, Steropesq; et nudus membra Pyracmon.

Ouid. li. 4. d Ponto Nec potes infestis cōferri Charyb[d]in Achiuis, Ter licet [...] oporteat, ter uomat illa fretū.

tos sibi fines ac terminos constituerit, illos transgredi nō debet. & quēadmodum si lex aliquem sontem in insulam relegauerit, alio'ue terrarum angulo habitare iusserit, inde impune discedere nequaquam licet; ita cum imitator poetę sese addixerit, à Cuius scriptis ne transuersum quidem unguem aberrare statuerit, nihil aliud conscribet, nisi quod ille prius dictauerit. Quapropter ei, qui alios imitari uult, maxime cauendum & prouidendum monet; ne sibi ipsi libertatem adimat, sponteque sua in angustum carcerem introeat; unde pedem proferre nunquam ualeat, præsertim quòd Cicero (licet de oratore loquatur, qui in hoc maxime cum poeta conuenit) imitatorem primum elaborare debere in deligēdo duce asserit; deinde quæ in eo, quem probauerit, excellent, ea diligentissime persequi; ne uitiosa cō sectando penè alter Fusius nominetur; qui C. Fimbriæ neruos in dicendo nequaquam assecutus, oris prauitatem, & uerborum latitudinem, uel, ut Gręci dicunt, χασμωδίαν imitabatur.

DE HEROICO POEMATE EXORDIENDO.

Præcepti ·x iiij·

Nec sic incipies, ut scriptor Cyclicus olim,
Fortunam Priami cantabo, & nobile bellum.
Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu?
Parturient montes, nascetur ridiculus mus.
Quanto rectius hic, qui nil molitur inepte;
Dic mihi Musa uirum, captæ post tempora Troiæ
Qui mores hominum multorum uidit, & urbes.
Non fumum ex fulgore, sed ex fumo dare lucem
Cogitat; ut speciosa dehinc miracula promat,
Antiphaten, Scyllamq́; & cū Cyclope Charybdim.
Nec reditum Diomedis ab interitu Meleagri,

Hoc uersiculo utimur prouerbij uice, quoties cunque uētosum aliquem ostentatorem significare uolumus; qui uerbis quidem mira omnia pollicetur, re ipsa postea nugas allaturus.

Antiphates, rex fuit Laestrigonum, Melampodis, seu, ut alij uolunt, Lami filius, qui Formias oppidū condidit. Hic cū cæteris Læstrigonū humana carne uescebatur.

i. de hinc. i. postea ... principiū ... promat, redat, narret, res pulchras et admiratione dignas.

i. ex magno principio re... humile opus compo... sed ex fumo. i. re tenui et ... principio luculentū opus ed... Et obiter alludit ad proverbiū, De fumo ad flammam: ... dictū, qui se à rebus dubijs in praesens exitiū conicit. Adi Eras. Chil. iiij. Cent. vij. Adag. xl.

Nec gemino bellum Troianum orditur ab ouo;
Semper ad euentum festinat, & in medias res
Non secus ac notas auditorem rapit.

Animaduertens Horatius nullum opus ad bonum finem peruenire, nisi ab optimo principio inchoatum fuerit; qui alibi facti dimidium eum, qui cœperit, habere affirmauit; Ἀρχὴ γὰρ, inquit Aristoteles, μεγάλην ἔχει ῥοπὴν πρὸς τὰ ἑπόμενα, καὶ πλεῖον ἢ τὸ ἥμισυ τοῦ παντός ἐστι, καὶ πολλὰ ἐμφανῆ γίνεται δι᾽ αὐτῆς τῶν ζητουμένων; merito nunc Cyclici uatum ineptissimi comparatione, atque Homeri, à quo tanquam perenni fonte omnis præstantia defluxit poetica, subijcit regulam de opere heroico exordiendo. Quod maiestate reliqua omnia antecedit, & fortasse ob suam magnitudinem poematis nomen meretur. CAVEAT ergo unusquisque ne statim ab initio tumidus inflatus'ue appareat; elato turgidoque carmine magna promittat, aut ea polliceatur, quę pręstare haud facile possit. Nam cum opus paulatim assurgere debeat, tantis promissis maiora, uel saltim congruentia quo modo subsequentur? quod fecit Cyclicus nescio qui poetę nomine nequaquam dignus; qui bellum Troianum cantaturus, nubes & inania captans ita exorsus est.

Fortunam Priami cantabo, & nobile bellum.

Quo quidem principio nescio an quicquam turgidius, &, ut ita loquar, uentosius proferri possit. At quid inde? Qui primũ maria, ut aiunt, promiserat, & montes, ueluti à cœlo in terrã delapsus in uilia queque ac uulgaria decidit. Nam si recte uersus ille perpendatur, inuenies tanto flatu, tantoque spiritu emissum, ut ἀδύνατον quasi sit consona suggerere. & queadmodum operis progressu semper poema maiorem accretionem elationem'ue recipere oportet; sic eo carmine pręmisso necessario in diminutionem submissionem'ue pręcipitabit; atque ex montium partu ridiculus mus procreabitur. Vnde recte fecisse mihi uidentur nonnulli doctissimi uiri, acriorique iudicio pręditi; qui Italicum Siluium ita exorsum,

Ordior arma quibus cœlo se gloria tollit

Aeneadum, Multoq́ue magis Statium sic,
Magnanimum Aeacidem, formidatamq́ue Tonanti
Progeniem, Subsannarunt; penitusq́ue ab optimorum poetarum cœtu eiecerunt. Quod autem subdit auctor, Quã to rectius hic, qui nil molitur inepte, optimi pręceptoris officio fungitur; non enim satis est quod uitium fugiendum sit monere, nisi & uirtutem expetendam proponat qui accurrate uult pręcipere. Itaque Cyclici exemplo quid in poemate inchoando euitandum cum explicasset, nunc Homeri poetarum omniũ facile principis quid maxime obseruandum statuit. qui odysseam moderate, scienter, ac summo iudicio ita aggreditur.

Ἄνδρα μοι ἔννεπε μοῦσα πολύτροπον, ὃς μάλα πολλὰ
Πλάγχθη. ἐπεὶ τροίης ἱερὸν πτολίετρον ἔπερσε
Πολλῶν δ' ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα, καὶ νόον ἔγνω.

Quod ipse breuiter appositeq́ue ita interpretatur;
Dic mihi Musa uirum, captę post tempora Troię
Qui mores hominum multorum uidit, & urbes.

Quo quidẽ moderato ęquabiliq́ue principio approbauit, inchoandum esse opus a' leui initio, ac deinde paulatim tanquam ab infimo fundamento extollendum. Rursum quid modestius efferri potuerit, quàm iliacarum rerum primordium? quo quidem uir ille diuinus ad canendam Achillis iram, ut sibi aspiraret, suppliciter musam inuocat.

Μῆνιν ἄειδε θεὰ πηληϊάδεω ἀχιλῆος
Οὐλομένην, ἣ μυρί' ἀχαιοῖς ἄλγε' ἔθηκεν.
Πολλὰς δ' ἰφθίμους ψυχὰς ἄϊδι προΐαψεν
Ἡρώων, αὐτοὺς δ' ἑλώρια τεῦχε κύνεσσιν.

Cumq́ue paulopost ad sublimia & rerum miracula ascendat, ex fumo clarissimum lumen excitat; & quodammodo ab orci caligine ad cœli splendorem se erigit. Nam ille alius a' solis feruida rota (ut ita loquar) in Plutonis tenebras pręcipitans ex fulgore potius fumum adipiscitur. Vnde decernunt grãmatici Maronem poema suũ inchoasse inde; Ille ego, qui quondã; & nõ arma, uirumq́ue cano; ut nonnulli arbitrantur. Nam si principio statim ab armis intonuisset, Cyclico forsitan assimilaretur. Quocirca nequaquam eos admittunt, qui quatuor priores uersus tanquam a' Maroniana maiestate diuersos aspernantur. prę‑

sertim quòd consulto carmina illa perinde atque suarum lucubrationum indicem apposuisse censent; ut quidquid antea conscripserat, de re pastorali scilicet, ac rustica, omnibus notum faceret; ne quis sibi falso uendicaret. quippe tunc surripiebantur carmina; consueuerantque inuidi quidam ex alienis scriptis falsam gloriam aucupari. quod quidem peruulgati uersiculi testantur; qui Maroni ipsi ascribuntur.

Hos ego uersiculos feci, tulit alter honores.
Sic uos non uobis nidificatis aues,
Sic uos non uobis uellera fertis oues,
Sic uos non uobis mellificatis apes,
Sic uos non uobis fertis aratra boues.

Sunt tamen nonnulli alij acrioris iudicij, qui summissam illam, & nimis abiectam humilitatem contemnentes eos uersus tanquã nothos reijciũt; proculque esse à Vergiliana phrasi, & grauitate contendunt. Rursum hos,

Arma uirumque cano, Troiæ qui primus ab oris
Italiam fato profugus, Lauinaque uenit Littora,

proprium esse fœtum, neque meliori principio opus Iliade maius, ut inquit ille, informari potuisse decernunt. Quis enim esset tam iudicij expers, qui Homericæ Iliados atque Odysseæ primordia cum hoc Maroniano mirum in modum conuenire non fateatur? eundemque spiritum ex eodem ore emissum nõ agnoscat? eò magis quod si quis æqua trutina eiusmodi carmen examinabit, neque cum Cyclici uentoso primordio, neque cũ Silij aut Statij tumidis exordijs cõuenire deprehendet. Nam etsi prima uox turgidula uidetur, uerbis tamen, quæ sequuntur quid lenius, sedatiusque proferri potest? cum illi contra ad cœlum euolantes iure reprehensionem subierint. Quod equidem ut facilius credam facit illud Propertij,

Qui nunc Aeneæ Troiani suscitat arma,
Iactaque Lauinis mœnia littoribus;

Quo sane ad Aeneidos initium allusisse uolunt, & merito; nam paulopost illud Eclogæ

Formosum pastor Corydon ardebat Alexim,
Delitias domini, nec quid speraret habebat,

ita commutauit.

Felix intactum Corydon qui tentat Alexin,
Agricolæ domini carpere delitias.

Quinimo affirmare audeo, Maronem, si uoluisset, nūquam eiusmodi priores, atque humillimos uersus euomere potuisse. Natura quippe eum ad sublimiora finxit; adeo quòd in carminibus pastoritijs Theocriti humilitatem (ut aliâs abunde diximus) ac Doricam illam rusticitatem nullo modo expressit. At cum de poematum initio pertractemus, non erit fortasse ab re pauca disserere, an à prima rerum origine opus sit inchoandum; & fortasse annuerit quispiam. Nam cum historicus ac Poeta in omnibus conueniant; nisi quòd alter numeris solutus, alter deuinctus est; ille ueritati adhæret, hic mentitur, quod quidē nomen indicat; historia rerum ordinem, seriemq́ue requirit; ut à principio gradatim ordinateq́ue contexatur. Testis apud Græcos Herodotus, qui suum Musarum opus ab ultimo initio repetere consentaneum duxit; ac noster Liuius, ut alios omittā, qui Romanorum gesta ab urbe condita, uel paulo altius a' Troia capta inchoauit. Nihilominus auctor contrarium decretū profert, adhuc ab Homeri integerrimi ac sapientissimi iudicis sententia non discedens. Poema scilicet non esse a' prima rerum origine repetendum; quemadmodum nescio quis reditum Diomedis descripturus ab interitu Meleagri eius patrui nimis alte principium sumpsit. Quod secus ab Homero, e' cuius thesauris præcepta omnia depromuntur, factum plane' constat. Non enim Iliada a' partu Ledæ; quæ cum a' Ioue, ut fabulæ dictant, sub Cycni forma compressa duo peperisset oua, ab altero Helena totius Asiæ communis Erynnis exclusa fertur; sed potius a' Chrysæ precibus orsus est. Ad hæc qui optimi Poetæ nomen consequi studet semper ad rerum euentum, exitum, ac finem properare debet, minime in primordijs insistens. Quinimo a' medijs rebus exordiri oportet, tanquam non ignotis; a' medio inquam historiæ inchoantem allicere legentem tanto cū artificio, ut quæ præcesserint, non secus atque omnibus nota, omissa uideantur. Consentaneum quippe uidetur, eum, qui media percallet, & prima ad unguem didicisse. rursus qui rei cuiuslibet originem bene nouerit, facilius media, gradatimq́ue ultima cognoscet. Quod quidem ab Homero diligentissime obser

uatum patet; multosque post annos a' Marone. Qui non a' Troia obsessa aut capta, sicuti ordo poscere uidebatur, sed ab Aeneæ naufragio hoc initium duxit;

Vix e' conspectu siculæ telluris in altum
Vela dabant læti, & spumas salis ære ruebant;

Nulla prius facta mentione, unde, aut qua de causa nauigabāt, perinde ac si omnibus perspicuum esset. & hoc est quod inquit auctor, Homerum, quem scopum omnibus poeticæ studiosis proposuit, in medias res, non secus ac notas, auditorem rapere. Quis enim tam plumbeus esset, qui Vergilianæ narrationis exordium (ut de nostris quandoque loquamur) legens non animaduertat tanto cum artificio eum incipere; ut rem notissimā legentibus proponere uideatur?

Et quæ
Desperat tractata nitescere posse, relinquit.
Atque ita mentitur, sic ueris falsa remiscet,
Primo ne medium, medio ne discrepet imum.

Videtur hic demum rationem quandam eorum, quæ dixerat, adiungere. Nam quemadmodum historiæ prima lex, est, ne quid falsi dicere audeat, deinde ne quid ueri non audeat, postremoque ut ordinem rerum gestarum seruet; sic Poeta non omnia, sed ea tantummodo attendere debet, quæ tractari cum decoro possint, quæ'ue splendorem operi allatura uideantur, & tanquam sedula apis collectos undique flosculos apportare. Cū igitur huiusmodi delectus habendus sit, ut quædam admittat, quædam uero recuset; non est mirum, si poeticum corpus non ea rerum continuatione æque, ac membrorum compactione, qua historicum, absoluitur. Præterea cum poetarum proprium munus sit mentiri, uerisque falsa commiscere, necesse est quandoque a' ueritate discedere, rerumque seriem intermittere, ne historicus appareat. Vnde Homerus ac Vergilius partim ueridici, partim autem mendaces utrunque obseruarunt. Quorum alter iliaci belli, Troiæque à Græcis obsessæ ueram historiam in uniuerso conscripsit; etsi totius operis multas partes ex mendacio composuit. alter uero de Aeneæ in Italiam aduentu, à quo Romani genus duxerant, uera protulit. De Didonis autem furore, quam castissima fuissem asserunt, falsa. multaque alia cōmenta

menta excogitauit, quæ falsitate sua non parum delectationis attulerunt. Sed aduertendum, ne, dum quispiã ueris falsisque opus uariare conabitur, confusum & permistum reddat; adeo ut medium cum initio, cumque medio finis non conueniat, quo quidem nihil turpius. Nam quemadmodum pictor symmetriam in primis attendere debet, ut unumquodque membrum membro consentiat; sic poetam omni ope niti decet, ut primę poematis partes medijs, ac mediæ postremis apte respondeant; adeo ut continuatis, interque se cohęrentibus artubus totum opus perficiatur. Quod quidem ex ijs tribus constare perspicuũ est. Pręsertim quòd Aristoteles poematis partes ita inter se cohęrescere oportere asserit, ne ulla quidem transferri, subtrahi'ue possit, quin uniuersum corpus uarietur, planeque immutetur. pars quippe id uere dicitur, quod mutatum uel subtractum totũ commutat. Quòd si aliquis præceptum, quod supra de poematis ordine locutus tradiderat, hic repetere auctorem arbitretur; animũ parumper aduertat. atque ibi de totius operis poetici dispositione præcepisse deprehendet; hic uero de poemate inchoando admonentem obiter de ueris cum fictis permiscendis, totiusque operis continuatione legem tulisse, minime fortasse superuacaneum iudicabit.

DE DECORO AETATI CVIQVE TRIBVENDO.

Tu, quid ego, & populus mecum desideret, audi.
Si plausoris eges aulæa manentis, & usque
Sessuri, donec cantor uos plaudite dicat;
Aetatis cuiusque notandi sunt tibi mores,
Mobilibusq; decor naturis dandus, & annis.

Cum supra eas partes unicuique personę tribuendas uniuerse statuerit, quas conditio, status, atque natura postulare uideantur; nunc ætatis cuiusque rationem diligenter habendam iubet,

ut decorum omnino seruetur. Annorum quippe cursus nescio quo pacto cum corporum, tum animorum uim, atque naturā facile mutat; adeo ut ætatum uarietas utrorumque dissimilitudinem faciat. Nam puerorum infirmitas est, ferocia iuuenum, constantis iam ætatis grauitas, senectutis uero maturitas. & hoc est quod a' doctis pariter atque indoctis summopere desideratur; quod'ue spectatorem adeo attentum detinet, ut prę nimia uoluptate attonitus inhiansque finem fabulæ expectet; ac sine somno assideat, donec aulæa tollantur, actorque postrema uerba edens, VALETE & plaudite, populum dimittat. Qui enim consentaneos mores transeuntibus annis, ætatibusque, quarum naturæ eorum lapsu permutantur, non apponet, stultus iure habebitur; non secus ac pictor; qui adolescentem incuruis humeris, innixum baculo, canis'ue capillis depingeret. nisi a' natura datum esset; quemadmodum de Numa Pompilio legitur, quem canum in iuuenta fuisse perhibent.

PVERITIA.

Reddere qui uoces iam scit puer, & pede certo
Signat humum, gestit paribus colludere; & iram
Colligit, ac ponit temere; & mutatur in horas.

Generalem pauloante regulam de ætatum moribus obseruandis tradidit, nunc uero sigillatim proprias cuiusque naturas ostendens præcepta subdit. Ac primum de puero. Qui iam ab infantium incunabulis egressus (illi enim cum nondum fari queant, rationeque utantur minime, hominum numero nequaquam habendi) linguæ freno soluto loqui, certisque ac firmioribus passibus ambulare cœperit, prius enim infirmis tremebundus cruribus, compositis gradibus ingredi haud poterat; quinimo, ut illud sphyngis de homine ænigma innuit, τετράπους δίπους, καὶ παλιντρίπους, humi serpebat. Proprium ergo huiusce puerilis ætatis erit, cum ęqualibus & coęuis ludere; nam unusquisque naturę impulsu parem adpetit; ac, ut Homerus inquit, ὡς αἰεὶ τὸν ὁμοῖον ἄγει θεὸς ὡς τὸν ὁμοῖον… [catchword: ὡς θεὸς ὁ-]

μοιον ἄγει ὡς τὸν ὅμοιον; temere irasci, atque e' uestigio conceptam excandescentiam deponere; inque horas millies mutari; ac demum ab ipsa uanitate nunquam discedere.

ADOLESCENTIA.

Imberbis iuuenis tandem custode remoto
Gaudet equis, canibusq́ue, & aprici gramine campi;
Cereus in uitium flecti, monitoribus asper,
Vtilium tardus prouisor, prodigus æris,
Sublimis, cupidusq́ue, & amata relinquere pernix.

Tandem hic magnũ iuuenum desiderium exprimit. et apud Maronem, iam tandem Italiæ fugientes prendimus oras.

De moribus iuuenũ Adi Arist. Rhe li. 2. c. XXVij.

Adolescens uero, cui inest maxima consilij imbecillitas, extra pueritię fines egressus, adhuc imberbis, remoto pędagogo eius ue artis magistro, in qua eruditur, gaudet equis, canibusque uenaticis; ut optime inquit Aristophanes,

Ὁ μὲν ἵππον ἀγαθὸν, ὁ δὲ κύνας θηρευτικάς;

ac noster Terentius,

Quod plerique omnes faciunt adolescentuli,
Vt animum ad aliquod studium adiungant; aut equos
Alere, aut canes ad uenandum.

Gaudet quoque aprico & patenti campo, in quo equitando cursandoq́ue se oblectet (quamuis nonnulli proprie campum martium hic designari arbitrentur; ut aliâs idem, & ludis, & post decisa negotia campo; in quo uarijs ludis ac certaminibus adolescentes Romani se exercere solebant) quem quidem affectum Ascanio etsi puero non sine decoro tribuit Maro.

Verg. Aen. iiij. fo. 194. ix.

At puer Ascanius medijs in uallibus acri
Gaudet equo; iamq́ue hos cursu, iam pręterit illos;
Spumantemq́ue dari pecora inter inertia uotis
Optat aprum, aut fuluum descendere monte leonem.

Præterea ad uitia procliuis admonitiones contemnit, oditq́ue monitores; adeo ut iure dici possit, obsequium amicos, ueritatem odium parere. Ea uero, quę sibi emolumento esse possint,

ſerius prouidet; cum adhuc neque rerum experiẽtiam habeat, neque maturæ ætatis prouidentiam, per quam futura conſpicimus. Et cum uoluptati animique appetitionibus obtemperet, neceſſario eſt prodigus, ac luxurioſus; ætatis quoque feruore elatus, tumidus, & glorioſus; quod quidem Homerus oſtendit ἥβην ἐρικυδέα nuncupans. Ardet etiam rerum omnium cupiditate, ut qui appetitui obnoxius facile cuncta appetat; & rurſus quæ ardenter concupiuerat leuitate, atque inconſtantia adactus facilius aſpernatur. Vnde Ariſtoteles merito aſſerit τὸν νέον οὐκ εἶναι οἰκεῖον ἀκροατὴν τῆς πολιτικῆς; ἐςὶ γὰρ, inquit, ἄπειρος τῶν κατὰ τὸν βίον πράξεων, καὶ τοῖς πάθεσιν ἀκολουθητικός; καὶ διὰ τὸ κατὰ πάθος ζῆν, καὶ διώκειν ἕκαςα.

AETAS VIRILIS.

Ad Ariſt. Rhe. li. 2. c. xxix.

Conuerſis ſtudijs ætas, animusq; uirilis
Quærit opes, & amicitias, inſeruit honori;
Commiſiſſe cauet quod mox mutare laboret.

Aetatis conuerſione fieri morum mutationem, ſtudiorumque, re ipſa compertũ habemus; qui enim antea adoleſcens ſibi ipſi nimium indulgebat, libidinibusque deſeruiens parum rebus utilibus inhiabat; Qui etiam inconſtantiæ ſtimulis concitatus temere deſerebat quæ pauloante ualde optauerat; nunc uirilem adeptus ætatem, totusque ab illo diuerſus augendis opibus, cõglutinandiſque amicitijs incumbit; quæ cum per ſe ſunt optabiles, tum præterea nobis multa bona, & commoda apportãt. ſemper honori inſeruit; euigilatque, ut maiorem in dies dignitatis gradum adipiſcatur. quod quidem ad felicitatem ſpectat, auctore Ariſtotele. In rebus denique agendis conſilium, inque eo capiendo prudentiam ac circunſpectionem adhibet; ne aliquid inconſulto peregiſſe poſtmodum pœniteat. quo nihil turpius. nam ſapientis nunquam habitum eſt, dicere non putarã. uulgatum Scipionis apophtegma.

SENECTVS.

Multa senem circumueniunt incommoda; uel quôd
Quærit, & inuentis miser abstinet, ac timet uti;
Vel quòd res omnes timide gelideq; ministrat.
Dilator, spe longus, iners, auidusq; futuri,
Difficilis, querulus, laudator temporis acti
Se puero, censor castigatorq; minorum.

De morib. senior. Adi Arist. Rhe. 2. c. xxviij.

Quemadmodum adolescentiæ uirilis ætas obrepit, ita huic senectus multis equidem obsessa incommodis; infesta sibi ipsi, atque inimica. senex enim ætatis uitio parcus, tenax, auaritiæq́ue laqueis irretitus magnopere in coaceruãda pecunia desudat (quod uitium hominibus afferre senectutem asserit Mitio apud Terentium, attentiores ad rem ut sint omnes quàm sat est) & quodã modo seipsum torquet, ut numis numos addat. Quibus postea congestis uti non audet, imo, quod absurdius est, ne de summa teruncius detrahatur, arido exhaustoq́ue corpori alimenta necessaria nequaquam suggerit, re uera pauper; cum Aristotelis sententia diues ex usu potius, quàm possessione iudicetur; infelix profecto; quippe ueretur sibi omnia deesse, ac solem ipsum, ut ita loquar, proprios denegaturum radios. imo ob insitam, atque peculiarem quandam miseriam alter Tantalus; qui, ut idẽ alibi, sitiens pocula à labris fugientia captat. Feruore præterea illo iuuenili, ac sanguine deficiente senex tardus, segnis, timidusq́ue euadit; adeo ut cuncta timide gelideq́ue ministret. Dilator est, qui naturali tarditate res omnes differt & procrastinat; dubius, incertus, anceps. Spe quoque longus; nam quamuis ad exactam ætatem peruenerit, iamq́ue sit capularis, bonam tamen longioris uitæ spem habet; adeo ut nemo sit tam decrepitus, qui se annum non putet posse uiuere. quod quidem animorum immortalitatis firmissimum est argumentum. homo enim quantumuis ætate prouectus ea aggreditur, quæ ob corporis im

Dilator qui dicat.

spe longus.

becillitatem, aut uitæ breuitatem nunquam assequetur. ut puta si quispiam nonaginta natus annos procreãdi causa uxorem ducat; oliuetum'ue conserendum suscipiat, cuius fructum nunquam satorem percepisse affirmauit Hesiodus. atqui tamen tanto studio uere spe longus utrunque recipit, ut sibi uitam cum morte commutaturus nequaquam uideatur. Præterea senio cõfectus iners, ignauus, & somniculosus est; auidusque futuri, ut qui ex ante acta uita tot rerum uicissitudines didicerit; ac semper futura inquirit, & quodammodo præsentire sibi uidetur ob præteritarum rerum memoriam. quidquid'ue in omni negotio euenturum sit, coniectura prospicere, & quodammodo diuinare profitetur. Fit quoque annis defessus asper, difficilis, querulus, natura loquacior, ab omni facilitate alienus, nullam denique sermonis affabilitatem habens, qua animos conciliet. & quod magnum odium iuuenum in ipsum concitat, semper prę terita tempora collaudat; recentioresque uituperans maiorum mores admodum extollit; ipse quoque ob uirium defectionem à uoluptatibus exclusus quidquid à iunioribus agatur acerbe reprehendit; minime recolens memoria, se olim eiusmodi libidinum illecebris illaqueatum ijsdem animi appetitionibus obtemperasse. Demum uitæ regula, quam nunc seuere degit, non autem quam olim iuueniliter uixit, omnia metitur. Atque hanc senum intolerabilem naturam apposite Terentius ætatis cuiusque decus obseruans his uerbis expressit.

Quàm iniqui sunt patres in omnes adolescentes iudices,
Qui æquum esse censent nos iam à pueris ilico nasci senes;
Neque illarum affines esse rerum, quas fert adolescentia;
Ex sua libidine moderantur, q̃ nunc est, nõ quæ olim fuit.

Et hoc est, quod breuissime inquit author, senem laudatorem temporis acti se puero; præteriti inquam temporis, quo ipse erat puer; nunc uero censorem, iuuenumque acerrimum reprehensorem esse. Sed quamuis innumera habeamus exẽpla apud poetas cum Græcos, tum Latinos, ut iuuenes ea, quæ iuuenum sunt, ac senes quæ senum obseruare uideantur; illud tamen Maronis satis uisum est quod adducam, cum Turnum ferocem iuuenem, amoreque Lauiniæ, & gloria ardentem singulare certamen hac inflammata oratione expostulare facit.

auidusq; futuri
laudator temporis acti se puero, censor castigatorq; minorum

Nulla mora in Turno, nihil est quod dicta retractent
Ignaui Aeneadæ; nec quæ pepigere recusent.
Congredior, fer sacra pater, & concipe fœdus.
Aut hac Dardanium dextra sub Tartara mittam
Desertorem Asiæ; sedeant, spectentque Latini;
Et solus ferro crimen commune refellam;
Aut habeat uictos, cedat Lauinia coniux.

Cui postea Latinum senem corde sedato (temeritas enim est florentis ætatis, senectutis uero prudentia, ac temperatio) ita respondentem inducit.

O præstans animi iuuenis, quantum ipse feroci
Virtute exuperans, tanto me impensius æquum est
Consulere, atque omnes metuentem expendere casus.
& quæ sequuntur.

Multa ferunt anni uenientes commoda secum,
Multa recedentes adimunt; ne forte seniles
Mandentur iuueni partes, puerοq; uiriles,
Semper in adiunctis, æuoq; morabimur aptis.

Constituit nunc demum Horatius differentiam quandam inter uenientes recedentesque annos; hoc est inter uirilem corroboratam'ue, quæ uulgo perfecta nuncupatur, ætatem, ac decrepitam. Nam quemadmodum illa multa bona & commoda apportat, uires scilicet tum animi, tum corporis, consilium, prudentiam, multarumque rerum experientiam; ut cuius propriũ sit munus regere: ita extrema & præcipitata cuncta eadem aufert. capularis enim senex obliuiscitur, delirat, repuerascitque. Quapropter cum ætates tantopere inter se differant, cumque annorum lapsu homo in uarios mores, ac naturas abeat, ut ita loquar, diligentissime animaduertendum est, ut quid cõueniat cuique æuo tribuatur; ne seniles partes iuueni mandentur, pueroque uiriles. Notandum uenientes annos appellari a natali die ad quinquagesimum, recedentes uero à quinquagesimo ad uitæ finem, satis scite ex intima Aegyptiorũ doctrina. qui ana- Anni uenientes qui / Anni recedentes

tomica fortaſſe obſeruatione, ut auctor eſt Plinius, cor in homi
ne per ſingulos annos ad binas ponderis drachmas ad quinqua-
geſimum annum accedere exiſtimabant; ab eo poſtea tantun-
dem detrahi; ideoq́ue neminem uiuere ultra centeſimum cordis
defectu cenſebant, cum ad nihilum redigatur. Et hanc putant
nonnulli eſſe cauſam, quòd ſenes ætate prouectiores repuera-
ſcunt; quippe cor, unde uitam habemus, ad priſtinum pōdus
atque naturam recidit. Ariſtoteles quoque intellectus opera-
tiones ſemper uſque ad annum quinquageſimum augeri, atque
inde minui tradit. Iure igitur Flaccus uenientes annos nuncu-
pauit; cum corde enim unà ingenium, prudentia, anniq́ue ipſi
uenire, & quodāmodo ad prȩfinitū tēpus creſcere, deinde abire,
decreſcere, inq́ue interitum præcipitare uidentur. Vnde haud
immerito inoleuit dictum, ſapienti non eſſe uiuēdum uſque ad
plaudite. Præterea ſciendum eſt, cum diuerſi auctores de æta
tum numero, ac uarietate diuerſa tradant (nam alij ſeptem, alij
quinque, alij quatuor, alij tres, alij uero decem gradus conſti-
tuerunt) Horatium noſtrum hic Pythagoræ opinioni adhære-
re. à qua quidem Cicero non diſcedit. ille enim humanam ui-
tam in quatuor partes, ætateſq́ue diſtribuebat; pueritiam ſcili
cet, adoleſcentiam, iuuentutem, quam uirilem, conſtantem, &
mediam ætatem ſunt qui uocant, atque ſenectam. Quas qua-
tuor anni temporibus comparabat; ueri pueros, æſtati adole-
ſcentes, autumno iuuenes, hyemi autem ſenes. At qui ſeptē
eſſe aſtruunt (quantum à Platonicis excerpſimus) planetarum
ordinem, ac numerum ſequuntur. ut prima ætas, qua alimur,
augemur, creſcendiq́ue tantummodo habemus facultatem, lu-
næ tribuatur; ſecunda Mercurio, cum literarum, muſicæ, alia-
rumq́ue artium ſtudia ſuſcipimus; Tertia Veneri, quando tur
gent membra genitali ſemine, inq́ue ipſam Venerem ſoluun-
tur, quarta & media ſoli inter planetas quarto & medio, qui
idcirco ab Homero κῆρ uocatur, à Cicerone cor, aſcribitur;
tunc enim regnat uigor, ætatiſq́ue ad florem accedimus; quin-
ta Marti, cum honori gloriæq́ue inſeruimus, uictorias & tro-
phæa affectamus. Sexta Ioui, quippe quæ prudentiam & con
ſiliorum maturitatem habet; inq́ue rerum actione, ac Reipu-
blicæ adminiſtratione uerſatur. Poſtrema Saturno; tunc enim

à procreandis

att. Diuersos diuersa sentir de ætatum numero.

a procreandis liberis homines natura ipsa desistere cogit; atque extincto iuuenili calore frigescere, & quodam otio marcescere facit.

DE TRAGOEDIA ATQVE COMOEDIA.

Aut agitur res in scenis, aut acta refertur.
Segnius irritant animos demissa per aurem,
Quàm quæ sunt oculis subiecta fidelibus, & quæ
Ipse sibi tradit spectator. Non tamen intus
Digna geri promes in scenam; multaq; tolles
Ex oculis, quæ mox narret facundia præsens.
Nec pueros coram populo Medea trucidet,
Aut humana palam coquat exta nefarius Atreus,
Aut in auem Progne uertatur, Cadmus in anguem.
Quodcunque ostendis mihi sic, incredulus odi.

Satis superque de heroico carmine supra disseruimus; & quamuis de Tragœdia comœdiaque obiter non nulla dixerimus, proprium tamen locũ requirere uidebantur; ut singulatim de ipsis sermo haberetur. Ac primo sciendum est Tragœdiam originem duxisse à rebus diuinis. Nam ueteres Atheniẽses Libero patri hircum uinearum hostem cum mactabant, iocularia quædam peragentes, & fortasse Baccho ipso repleti carmina canebant, quæ ἀπὸ τοῦ τράγου, καὶ τῆς ᾠδῆς Tragœdiæ nomen asciuerunt. quippe in eiusmodi sacrificijs fundebantur, quibus hircum immolabant. Cuius quidem rei hanc Vergilius facit mentionem.

Non aliam ob culpam Baccho caper omnibus aris
Cæditur, & ueteres ineunt proscenia ludi;
Præmiaque ingentes pagos, & compita circum
Theseidæ posuere; atque inter pocula læti

Mollibus in pratis unctos ſaliere per utres.

Quamuis Ariſtoteles rerum omnium grauiſſimus auctor tragœdiam apud Dorienſes, qui in Peloponneſo habitarunt, inuentam probet eo quidem argumento, quòd illi ποιεῖν δρᾶν, Athenienſes uero πράττειν dicebant; ἀπὸ τοῦ δρᾶν conuerſione literę nuncupatam coniectemus; continet enim dramata. An fortaſſe ἀπὸ τοῦ δρᾶν, καὶ τῆς ᾠδῆς? quaſi carmen quod in ſacrificijs canebatur. id enim uerbum apud græcos non tantum facere, uerum etiam ſacrificare deſignat. quorum ad imitationem inquit & noſter Maro.

Cum faciam uitula, pro frugibus ipſe uenito.

Cæterum tragœdia, ut Ariſtotelicam definitionem ſequamur, μίμησις ἐστὶ πράξεως σπουδαίας, καὶ τελείας, μέγεθος ἐχούσης, ἡδυσμένῳ λόγῳ· χωρὶς ἑκάστου τῶν εἰδῶν ἐν τοῖς μορίοις δρώντων, καὶ οὐ δι᾽ ἐπαγγελίας, ἀλλὰ δι᾽ ἐλέου, καὶ φόβου περαίνουσα τὴν τῶν τοιούτων παθημάτων κάθαρσιν. Quam quidem deſcriptionem ipſemet explicans ſubdit. λέγω δὴ ἡδυσμένον μὲν λόγον τὸν ἔχοντα ῥυθμὸν, καὶ ἁρμονίαν, καὶ μέλος. τὸ δὲ χωρὶς τῶν εἰδῶν τὸ διὰ μέτρων ἔνια μόνον περαίνεσθαι, καὶ πάλιν ἕτερα διὰ μέλους. Comœdiam uero quis primus apud græcos inuenerit, quidam ambigunt. nam apud latinos cum eam, tum tragœdiam togatam primo Liuium Andronicum induxiſſe, pro comperto habetur à grammaticis. Alij itidem apud Athenieſes ortam arbitrantur. qui antequam in urbis mœnia conueniſſent, uicatim in Attica regione habitabant; & plerunque circa pagos, & compita carmina canentes ſcurrilia ſaltationibus, comeſſationibusque indulgebant; quod hodie feſtis diebus à paganis fieri paſſim cernimus. atque inde comœdiam ἀπὸ τοῦ κωμάζειν καὶ ᾄδειν nuncupatam emanaſſe uolũt. Alij ἀπὸ τοῦ κώμου καὶ τῆς ᾠδῆς deducunt, ut ſit conuiuiale carmen. Nam in conuiuijs iocoſo quodam carmine ciuium uitia iuuentus liberius taxabat prius, quàm ars, ac theatrorum conſuetudo acceſſiſſet. Ego tamen eidem Ariſtoteli adhærendum cenſeo (cum eo enim errare malo, quàm cum alijs bene ſentire) qui itidem comœdiæ originem Dorienſibus tribuit, Siculis inquam & Megarenſibus, eodem etymologiæ argumento. ut comœdos non ἀπὸ τοῦ κωμάζειν dictos, ἀλλὰ τῇ κατὰ κώμας πλάνῃ ἀτιμαζομένους ἐκ τοῦ ἄστεως credamus. illi enim κώμας περιοικίδας appellant, quos Athenienſes δήμους. Vnde eos fuiſſe comœdiæ inuento

res conijciunt (quamuis ob nimiam Aristotelis breuitatem obscuritatemq́ue potius diuinare oporteat) qui in urbe despectui habebantur ; adeoq́ue ab omnibus spernebantur , quòd extra mœnia uagari per pagos & uillas coacti maledicta in ciues spargebant, unumquenque nominatim subsannantes . unde paulatim ἀρχαία κωμῳδία , quæ omnium uitia nimia cum licentia taxabat, initium sumpsit . Alij quidam uerba Aristotelica secus interpretantes urbanos fuisse arbitrantur, qui primo carminibus peccata taxare cœpissent . cumq́ue ob linguæ uenenū ciuitati odio essent , pariterq́ue ab omnibus inhonorati despicerentur , urbe excedere coacti circum pagos errarunt ; eosdemq́ue ciues uersuum contumelijs lacerantes κωμῳδοὶ iure nuncupati fuerunt. Quod ut facilius credam facit idem Stagirita , asseuerans comœdiam initio latuisse , quòd parum sui studiosos habuerit ; honorem enim , qui alit artes , augetq́ue , nequaquam adipiscebatur. Cæterum quis personas , prologos , hystrionum multitudinem, aliaq́ue id genus protulerit, prorsus obscurum est . Confingere autem fabulas , quod quidem a Sicilia primum emanauit , Epicharmus & Phormis instituerunt . Quoniam uero omnes poetæ , quicunque Heracleida , Theseida , alia'ue id genus poemata conscribentes , cum unus fuerit Hercules , unam ipsius oportere esse fabulam arbitrabantur , Aristoteli peccasse uidentur. cuius equidem sententia unaquæque fabula non circa unum quēlibet uersatur , ut illi putabant . quippe multa genere indeterminata ac uaria contingunt , ex quibus unum quid fieri , ac simplex nequaquam potest ; præsertim quôd unius quoque plures sunt actiones ac diuersæ ; adeo ut ob earum omnimodam uarietatem fabula admodum splendescat , a diuersisq́ue actibus sua ornamenta accipiat. Idcirco auctor antequam ad alia de Tragœdia comœdiaq́ue præcepta descenderet, de eis aliquid præcipere consentaneum duxit . Ac primo rem quandoque fabulæ'ue partem in scenis agi , spectantiumq́ue oculis subijci appositis gestibus commonefacit ; aut uerbis tantummodo referri,histrionū uero actione minime decorari ; quippe quæ narranda sint,& nō re ipsa ostendenda . oculorum tamen sensus , ut inquit Plato , cum in nobis acerrimus sit , ijs magis afficimur , quæ cernimus , quâm quæ audimus ; maioremq́ue oculis quâm auribus fidē pr

ſtamus. ὦτίων γὰρ πιςότεροι ὀφθαλμοί. adeo quòd ſemper ambigere ſolemus de ijs, quæ ab alijs accepimus; quæ uero oculis ſentiuntur, ſtatim in mente inſidunt, animoq́ue infixa manent; qui naturæ impulſu multo magis aſpectu, quàm auditu delectatur. atque hinc merito Horatius oculos fideles nuncupauit. Quapropter maiorem oblectationem præbere fabulas, quæ actu ipſo, quàm quæ ſermone exprimuntur, multoq́ue magis rerum ſpectatores quàm audientes affici, omnium iudicio cõprobatum eſt. Excipiuntur tamen non nulla; quæ nullo modo oculis proponenda ſunt, ſed intus ac ſemoto loco gerenda; quippe quæ mirum ad modum turpitudine ſordeſcant ſua. Exempli cauſa ſi mulier in fabula à iuuene conſtupranda induceretur, non foris omniumq́ue ante conſpectum turpis illa obſcœnitas oſtendenda; ſed potius occulto ſcenæ loco uim illatam ſpectatores auribus accipiant. Mulier itidem parturiens uoces tantummodo, ut omnis conſeſſus audiat, Lucina fer opem, emittere debebit; nimis enim eſſet indecorum, rem eiuſmodi turpem atque inhoneſtam oculis obijcere. quemadmodum artificioſe Terentius Glycerium parientem occulte, intusq́ue in domo opem Lucinæ implorantem ita inducit;

Iuno Lucina fer opem, ſerua me obſecro.

Quam quidem muliebrem eiulationem idem aliâs Pamphilam abdite enitentem edere facit. ubi uox tantum audiebatur. Et hoc eſt, quod auctor innuit, mea ſententia; dum inquit, quæ digna ſunt intus ſeorſumq́ue geri, minime in ſcenam eſſe proferenda. SVNT præterea quædam alia penitus ab oculis, atque omni actu tollenda, ut neque intus neque foris agi ſentiant ſpectatores, ſed tantũmodo, ſi libeat, narranda. præſertim quòd Ariſtoteles præcipit ita fabulam eſſe contexendã; ut ẽt ſublato ſpectaculo, quæ cõtigerint quiſpiã percipiens miſereatur, exhorreat'ue; quod quidem in Oedipodis fabula deprehendiſſe fatetur. Eſſet enim turpe atque indecorum, ſi Medea coràm populo filios trucidans introduceretur; aut Atreus fratri filios edendos appoſiturus eorum exta torreret; Progne'ue in hirundinẽ, aut Cadmus in anguem abire uiderẽtur. quæ quidem tanta feritate ac turpitudine referta ſunt, ut ſi conſpicienda proponantur, nullo pacto fidem, ſed potius odium adipiſcantur. Quis

enim matrem ſuos filios, quos ardentisſimo amore naturæ impulſu proſequitur, iugulare credat? aut iugulantem aſpiciens eiuſmodi inhumanam ſæuitiam non aſpernetur, abhorreatque? ita ut ſæuo offenſus ſpectaculo amplius ad theatrum accedere non audeat. Quo circa monſtrifica huiuſcemodi portenta, ab humana natura prorſus aliena poetę quambreuisſime pertractanda ſuſcipiunt; ne ſi longa uerborum ambage exponerētur, in odiū offenſionemque auditorum incurrerent. Nam à Græcis Timomachus ac Theon poetę minime laudantur; quorum alter Medeæ in filios ſæuitiam, alter Oreſtis in matrē conſcripſit. Quid? non'ne Homerus forſitan nimius fuit (obſcœna enim quoque breuiloquium poſtulant) in deſcribendo Iouis concubitu cum Iunone in Idę uertice? & fortaſſe neſcio quid libidinis redolens? cum inquit,

Ἀγκὰς ἔμαρπτε κρόνου παῖς ἣν παράκοιτιν;

Et rurſus, ἔχε δ' ἀγκὰς ἄκοιτιν. Contra Maro noſter admodum parcè, & ſobrie, ut ita dixerim, Didonis atque Aeneæ uenereum complexum expresſit;

Speluncam Dido, dux & Troianus eandem
Deueniunt.

Quo quid breuius in re turpi explicanda, quid concinnius, quid denique modeſtius dici potuiſſet? Quintilianus præterea uir eruditisſimus in oratione operienda eſſe non nulla monet (ne id in poeſi tantummodo obſeruādum putemus) quemadmodum & Apelles imaginem Antigoni latere tantum altero oſtendit, ut amisſi oculi deformitas lateret. Et quod maius eſt, hiſtorici quandoque breuibus perſtringūt, cum turpe quid inhumanum'ue dicendum occurrerit. ut ex Liuio noſtro hiſtoriæ parente liquet. qui breuiter, ſtricteque Lucretiæ ſtuprum, tanquam rem flagitioſam, ac ſumptum de filijs Bruti coràm patre ſupplicium, perinde atque ſæuum facinus enarrauit. Fieri quippe non potuit, ſi pluribus uerbis explicare uoluiſſet, ut filij inter tam horrendum myſterium gemitu, lachrymis, aut uultu denique mœſto exanguique patrem ad commiſerationem adducere non tentaſſent; aut uerba quædam ultro citroque patris ad filios, eorumque ad parentem ante miſerrimam pœnam non fuerint habita. Quæ quidem omnia Liuius prudens tanquam inhumanitatis plena ſilentio prætermiſit.

Nihilominus cum perturbationes, auctore Aristotele, in tragœdia captandæ sint recensendo terribilia; utputa si fratrem frater, filius patrem, mater gnatum, aut ille matrem necauerit (nã si hostis hostem obtruncarit, non ita spectator, auditor'ue com mouebitur) qui proinde receptas fabulas haud esse mutãdas decreuit, uerbi causa Clytemnestram ab Oreste interfectam, Eriphylem ab Alcmæone. quæret aliquis, qua de causa Horatius à tãto philosopho diuersus eiusmodi horribilia argumẽta asper ñetur? cui respondendum, uetustissimos poetas omnes fabulas sine delectu suscepisse (nam & Euripides Medeam filios necantem induxit) quas posteri ab illorum scriptis acrius adepti iudicium, ac prudentiores facti recusarunt. Fieri enim nescio quo pacto uidemus, ut homines annorum cursu acutiores ingenio, perspicacioresque euadant. Et ideo non mirum, si cum Aristotele Flaccus quandoque non consentit. Quippe ille ab antiqua poesi non discedens artis poeticæ normas tradidit; hic autem uates, quod quidem permultam interest, cum maiorum tum iuniorum poemata perpendens quædam admittit, quædam uero non probat. Nam & ipse peripateticorum princeps ueterum philosophorum dogmata taxans antiquam philosophiam balbutientem nuncupauit. quòd si ab eorum opinione in rebus philosophicis quasi semper dissentire sibi licuit, cur & auctori nostro in poeticis cum ipso semel non conuenire crimini dabitur? An potius (ut eos concordia copulemus) Aristotelem portenta eiusmodi non gestibus aperienda, sed narratione statuisse dicamus? eò magis quòd ipsius decreto tragœdia nequaquam continere debet nefaria, scelesta, inhumana'ue. etsi terrificum miserandumque argumentum requirit, eamque semper ab infelicitate terminari ars postulat. In quo quidem Euripidem à subsannantium morsu idem uendicat, omniumque poetarum maxime tragicum sibi uideri asserit. Vnde & à Cicerone tragœdiæ aliâs pro admirabilibus rebus, aliâs pro lacrimosis questubus, queribundis'ue luctibus usurpantur.

DE ACTIBVS.

Ne ue minor quinto, neu sit productior actu
Fabula; quæ posci uult, & spectata reponi.
Nec Deus intersit, nisi dignus uindice nodus
Inciderit; nec quarta loqui persona laboret.

Aristoteles in uniuerso fabularum decentem, ac iustam magnitudinem circunscripsit; cum ad prosperam fortunam ab aduersa, aut a' prospera in aduersam, rursus a' commodis ad incommoda mutata fuerit; uel contra. Horatius autem ad partes descendit. ac primum quinque actus in quacunque fabula requiri, nec plures, paucioresúe ostendit. Nam secus nullo modo uoluptatem præbebit, semelque spectata amplius non desiderabitur, tanquam indigna quę reponatur. Dij uero, quos cuncta inspicere fatetur Stagirita, nunquam introducendi, nisi nodus inciderit diuina manu explicandus; aut difficultas, quæ uires excedens humanas opem deorum postulet. In actibus uero ipsis quarta interloqui persona quâm raro debet. quòd si quandoque admittatur, pauca, uel secum ipsa insusurret. quemadmodum ab omnibus, tum præsertim a' Plauto ac Terentio obseruatum uidemus. Vnde minime audiendi sunt, qui Horatiũ hic decreuisse arbitrantur, nullo pacto quartam personam in scenam esse recipiendam. Dramata enim nonnulla cum græcorum, tum latinorum deprehendũtur, in quibus quarta loquitur; paucis tamen uerbis, uel seorsum ab alijs. Quod quidem innuere uoluit auctor, dum inquit; nec quarta loqui persona laboret; poetam laborare, aut affectare prohibens, ut quartam personã studiose interponat; quinetiam quod eius fieri poterit euitare iubens. Quòd si omnino res ipsa expostulet, tunc præceptum illud esse seruandum; ut scilicet raro & pauca loquatur, uel sola secum murmuret. Quod equidem cum passim apud omnes comicos obseruetur, exempla adducere nolo, ne uidear γλαύκας ἀθῆ-

νας. Quidam alij legem ſupra latam de inducendis dijs ad immortalium implorationes Muſarum'ue inuocationes referunt; quibus poetę proprijs ingenij uiribus diffiſi utuntur, non tantū in poematum primordijs, uerū etiam quotieſcunque res arduę, ac difficillimę, quę deorum ope indigeant, explicandæ occurrunt. Quod fecit Homerus,

Ἔσπετε νῦν μοι μοῦσαι ὀλύμπια δώματ᾽ ἔχουσαι,
Ὅππως δὴ πρῶτον πῦρ ἔμπεσε νηυσὶν ἀχαιῶν.

cuius æmulatione inquit & Maro,

Pandite nunc Helicona deæ, cantusq́ue mouete. & rurſus
Nunc age qui reges Erato, quæ tempora rerum.

Vel cum res magna, quæ humanam excedere facultatem uideatur, ab aliquo perficitur, tunc numinis interuentu peractam eſſe fingunt. Vnde idem Maro Turno per mediam Troianorū urbem cædem facienti Iunonem animos uireſque miniſtraſſe aſſeruit; cum alioqui nūquam incolumis euaſiſſet. Homerus quoque tum Græcis tum Troianis, ſi quando præclara ac mirabilia facinora obibant, ſemper deos adfuiſſe finxit. Neque obſtat, quòd locus hic nullam de heroico poemate mentionem continens tragœdiæ tanquam proprius, atque comœdiæ tribuatur. Nam leges toto hoc opere mixtas quodammodo tradit; adeo ut multa ſupra pręceperit, cum de heroico diſſeruit, quę ad tragicam comicamq́ue rem attinere uidentur, & nonnulla hic quę ad heroicam. quod quidem iure quodam fieri quis neſciat? quippe omnia poematum genera quandam inter ſe cognationem habent; multaq́ue pręcepta communia æque participant. Demum quorundam ſententię occurrendum. Qui Horatium, cū de introducendis dijs leges ſanxerit, ad tragœdiam tantum reſpexiſſe autumant; quippe comica humilitas deorum maieſtatem non requirit; ac Cicero tragicos poetas, cum explicare argumēti exitum non poſſunt, ad deos confugere affirmat. neque animaduertunt Plautum induxiſſe Iouem, Mercurium, Larem, Arcturum, atque Silenum. Quòd ſi rurſus obijcient, ideo Amphitrionem deos accepiſſe, quoniam tragœdiam participat; nam Lar, Arcturus, ac Silenus cœleſtium nomine nequaquam digni, & quamuis Dij eſſent non in actibus loquuntur, ἀλλὰ προλογίζουσι; uoluant græcas comœdias, & quandoque immortales admiſſos fuiſſe

Aen. ix. et ppea subdit: Huic Iuno uires animumq; ministrat.

fuisse comperient.

DE CHORO.

Actoris partes chorus, officiumq; uirile
Defendat; neu quid medios intercinat actus,
Quod non proposito conducat, & hæreat apte.

Vetustissimi fabularum auctores choros, ut actus distinguerent, excogitarunt; utque spectatores, dum ab uno ad alterum transitio fieret, commodius detinerentur; ne mora illa, & fastidio quasi quodam abaliarentur. Qui quidem nomen habuerunt, auctore Platone, ἀπὸ τῆς χαρᾶς, hoc est à gaudio & uoluptate, quam præbebant. Quidam alij non choros post unumquenque actum admitti solitos hic intelligunt, sed cœtus plurium personarum atque conuentus, quos Græci cum alijs interloqui faciebant, ut plurium multitudo unius personę uice fungeretur. Cuiusmodi apud Aristophanem rusticorum senumque chori. Vnde & a corona non nulli id nomen deducunt. Vtcunque sit, tradito pauloante de actibus præcepto, merito nunc Horatius de choro, altera fabularum parte, ad disserendum transit. Ac primo iubet eum defendere oportere illius partes, qui fabulam agit; hoc est, non nullorum sententia, defendat chorus quas partes quisque egerit actor, aut personam sumpserit; nam si uirilem, tunc uirorum debet esse chorus; si muliebrem, mulierum. Quippe utrunque cōcedunt. imo, quod notatione dignius est, Aristophanes nebularum ranarumque choros induxit; eo quidem artificio; ut ab interloquentibus accersitę personis, quæ prius de eis meminerint, aduentasse uideantur. Socrati enim nebularum chorus adfuit, Charontique ranarum; qui eas prouocarunt. adeo ut nunquam chorus ab actore discedens eius quodāmodo partes defendere iure dicatur. & id fortasse innuit Aristoteles; cum inquit, chorum esse totius fabulæ particulam quandam, καὶ συναγωνίζεσθαι. quod quidem concertare uertunt; unà enim cum actore certare uidetur, & tanquam Σύμμαχος in pu-

gnam descendere, cum ambo ad eundem scopum tendant; alij suffragari, quippe fauet actori easdem partes suscipiens, quas il le prius sumpserit. Alij locum hunc secus interpretantur; ut sit sensus, actoris partes defendat, id est unum commendet histrionem, suscipiatque, non omnes simul; quippe, ut inquit Aristoteles, τὸν χορὸν δὲ ἕνα δεῖ ὑπολαβεῖν τῶν ὑποκριτῶν. Officium quoque uirile defendat. Sit licet inquam chorus fœminarum, aut si quid leuius est, sermonem semper grauem & uirilem reti nere debet. Nam quid nebulis inanius, uentosiusque effingi potuisset? & tamen uerborum maiestatem, sententiarumque grauitatem earum chorum seruare unusquisque deprehendet apud eundem Aristophanem. Nam cũ chorus grauitatem quan dam, seueritatem, atque censuram postulet, uirtutem ac probi tatem collaudare debebit, minimeque intercinere quæ cum pro posita materie haud cõuenire uidebuntur. & hoc est, quod Flac cus; Actoris, uel (ut in alio exemplari legitur) auctoris partes chorus defendat; id est sibi tanquam propria sumat, recipiat'ue, quæ, ubi ipse interponitur, aguntur; demũque ea cantet, quæ ab actibus, ac re ipsa nullatenus discrepabunt. Itaque materiæ, quæ tractatur, congruentia suscipiens, auctoris, actoris'ue partes defendere iure dicetur, & tanquam causæ patronus semper adesse. Quam sententiam ut maxime probem, cogunt uer ba, quæ sequuntur;

Neu quid medios intercinat actus,
Quod non proposito conducat, & hæreat apte.

Quibus equidem perspicuum reddit Horatius, quod breuissime ac nimis obscure dixerat. Nam quòd officium uirile defendere itidem iussit, clarius & magis abunde explicat his carminibus; quæ statim subijcit.

Ille bonis faueatque, & concilietur amice;
Et regat iratos; & amet peccare timentes.
Ille dapes laudet mensæ breuis, ille salubrem
Iustitiam, legesque, & apertis ocia portis.
Ille tegat commissa; deosque precetur, & oret,
Vt redeat miseris, abeat fortuna superbis.

Chorus præterea uirili officio fungi debet, perinde ac uirtutum defensor quidam acerrimus; bonis inquam fauere, integros ex-

tollere, eorumq́ue beneuolentiam captare; iratos compeſcere, & moderari; probos diligere, ut qui uirtutis amore à peccatis abhorreant; frugalitatem, ac temperantiam approbare; parſimoniam, quæ cõquiſitiſſimos reſpuit cibos apparatumq́ue regium, aſpernari. ſalubrem quoque iuſtitiam, quippe quæ uirtutum omniũ regina ius ſuũ cuique diſtribuat, cõmendare; ac leges ipſas illius miniſtras, quæ ſupplicio improbos afficiũt, tuenturque bonos, ſummis laudibus efferre; necnon tranquillæ paci ſuum prę conium tribuere (ea enim urbium portas tuto patere, hominesque nimio otio affluentes ſecuram, ac placidiſſimam uitam degere ſinit) occultare præterea debet chorus arcana, quæ ſibi credita fuerint; fidoq́ue ſilentio danda, quæ alicuius fidei committuntur, minimeque propalauda eſſe demonſtret, cum uiri pectus ſepulchrum quoddam ſecretorum omnium reconditum eſſe deceat. Demum ſi calamitate afflictum quenquam fabula ſuſceperit, tum chorus deos precabitur immortales; ut miſeris bonam fortunam, ſuperbis uero malam reddant.

DE TIBIIS AC FABVLARVM INCREMENTO.

Tibia non, ut nunc, orichalco uincta, tubæq;
Aemula, ſed tenuis, ſimplexq; foramine pauco
Aſpirare, & adeſſe choris erat utilis; atque
Nondum ſpiſſa nimis complere ſedilia flatu.
Quo ſanè populus numerabilis, utpote paruus,
Et frugi, caſtusq;, uerecundusq; coibat.
Poſtquam cœpit agros extendere uictor, & urbem
Latior amplecti murus, uinoq; diurno
Placari genius feſtis impune diebus;
Acceſsit numerisq; modisq; licentia maior.
Indoctus quid enim ſaperet, liberq; laborum,

Antiquitas unicuique ſtatim nato duos genios tribuebat, bonũ à græcis εὐδαίμονα, ac malum κακοδαίμονα

nuncupatos. unde et nomen habuerũt, uel quòd nobiscũ sint geniti, uel quòd statim nos genitos suscipiãt. Quibus ueteres nõ hostijs sed uino sacrificabant, iuxta illud, funde merum genio.

Rusticus urbano confusus, turpis honesto?
Sic priscæ motumq; & luxuriam addidit arti
Tibicen, traxitq; uagus per pulpita uestem.
Sic etiam fidibus uoces creuere seueris,
Et tulit eloquium insolitum facundia præceps;
Vtiliumq; sagax rerum, & diuina futuri
Sortilegis non discrepuit sententia Delphis.

Quemadmodum Græci choros diuidundis actibus adhibuerunt, ita Latini tibias excogitarunt; in graui comœdia dextras, quæ grauem sonum, in leui sinistras, quæ acutum emittebant; ut congruenti cantu cum fabularum leuitate, aut grauitate conuenirent. atqui ambæ adhibebãtur, cum mixta e' genere utroque erat comœdia. Quamuis alij priscos in omni fabula utrisque usos contendant, M. Varronis uerbis, etsi perobscuris, adducti. Qui inquit. Dextra tibia alia est quàm sinistra, ita tamen sit quodam modo coniuncta; quòd est altera eiusdem carminis modorum incentiua, altera succentiua. Et paulopost idem tibiam sinistrã à dextræ foraminibus succinere asseuerauit. Vnde conijciunt (etsi Varro ibi de pastoralibus tibijs loqui uideatur) à dextra cantum inchoari solitum, quæ quidem pleniori sono perstrepebat, posteaque sinistra moderari, quæ summissiori uoce respõdebat. sed utcunque fuerit, ad auctorem nostrum reuertamur. qui cum pauloante de choro, quem Græci inuenerunt, præceptiones tradiderit, merito nunc continuato ordine de tibijs meminit; quæ apud latinos uice chori habebantur. ac per digressionem quasi quandam suorum temporum luxuriem subsannãs antiquorum modestiam, ac temperantiam dignis laudibus prosequitur. Tibia quippe uetustis temporibus non ex aurichalco compacta, qualem posteri habuerunt, tantaque uocis magnitudine intonans, ut tubam imitaretur, sed tenuis, simplex, paucis'ue, aut ad summum quatuor terebrata foraminibus chori locum occupabat; ac tenui sonitu sedilia complebat, nondum

spissa; rarus quippe erat populi cõsessus; adeo quòd facile propter hominum paucitatem numerari poterat. Modestus tamẽ, castus, uerecundus, ac denique frugi, iustus, fortis, & temperans; nam, ut inquit Cicero, frugalitas fortitudinem, iustitiã, & temperantiam complectitur. Postquam uero Romani inimicos populos debellarunt, imperiumque propagarunt, unaque cum triumphis creuit hominum multitudo, urbis mœnia dilatari oportuit, ut frequentiorem populum, uictoremque gentium caperent. Itaque paulatim cum urbis incremento in morum nimiam licentiam prolapsi, libertatemque uiuendi, à prisca illa continentia omnino degenerarunt. adeo quòd festis diebus, nulla lege, nullaque censoria nota prohibente, lautis lartisque conuiuijs per totum diem uino se replentes incumbebant. Nam Genio indulgere dicuntur, qui animi appetitibus obsequuntur; dapibusque, uino, ac somno, prout illi iubent, se se addicunt. hinc genialem diem, lætum, hilarem, uoluptarium nuncupant, & genialem lectum Veneris uoluptatibus dicatum. Contra uero Genium defraudare dicitur, qui naturæ, animique appetitionibus nequaquam satisfacit. At quæ de Genijs prisci auctores tradiderint, recensere, ad hunc locum, nostrumque institutum minime pertinet. præsertim quòd in lucubrationibus de poetica obscuritate abunde rem hanc pertractauimus. Ineptam tamẽ quorundam expositionem silentio non prætermittam; qui uinum diurnum ad diem perductum interpretantur, contendentes Horatium immoderata conuiuia, atque inhonesta significasse. quippe quæ uesperi inchoata per totam noctem ad solis reditum protrahebantur. sequunturque uulgi atque indoctorum hominum opinionem; priscos uidelicet singulis diebus non nisi semel, adueniente nocte, comedisse; quæ cœna nuncupabatur; nullo modo prandere solitos. Quæ quidem sentẽtia iandudum eruditorum omnium consensu explosa est. Veteres enim non solum cœnabant, uerumetiam prandebant; & non nulli quoque ientabant. Quapropter pro uino diurno compotationes, comessationes'ue, aut, ut quidam malunt, concœnationes, quas Græci συμπόσια, uel συνδείπνα uocant, intelligo; (quamuis alij genialia sacrificia) quę interdiu non noctu celebrabantur. diurnus enim proprie nocturno opponitur. An diurnum accepit pro

eo, quod græci πανημέριον dicunt; ut per totum diem celebrata cõuiuia innuisse dicamus? Videtur preterea Flaccus posterioribus uerbis sua tempora taxare, cum Aug. Cæsar Rempublicam regendam susceperat; per quem confirmata cum gentibus placidissima pace, discedentesque ab armis Romani langori, desidiæque se dediderũt. Nam cum liberi ab omni labore & tumultu bellico lasciuire, otioque marcescere cœpissent, ludorum luxum, inque peragendis fabulis splendidum apparatum affectarunt; quinimo ambitionis igne accensi cum theatrorum magnificentia numeris quoque ac modis luxuriem addiderunt. Laudi enim dabatur maximæ, si quis spectaculorum uaria genera edidisset; tantoque postea in honore fuit ars histrionum, quod Nero Claudius in priuatis spectaculis operam inter scenicos dare non dubitauit. Cui profecto immoderatæ licentiæ accessit & hominum inscitia, arrogantiaque; qua indocti obcœcati sapientibus minime cedebant; rusticique cum urbanis cõfusi, cum nobilibus ignobiles, boni cum prauis, cumque honestis inhonesti permisti, in antiquum Chaos, ut ita loquar, reciderunt. Vnde prisco intercanendi artificio, quod antea tenuis tantum tibiæ paucis foraminibus absoluebatur, addita fuit luxuriosa quædã saltatio; atque tibicen lõga indutus ueste modo huc modo illuc se se uagus per pulpita circumferebat. Ad hæc non tantum tibia maiorem libertatem accepit, uerumetiam & cithara. Quæ quidem ut prius una, uel tribus ad summum chordis interstrepebat, cumque soni grauitate eiusce ætatis seueritatem æquiperabat; ita posterorum intemperantia ex septem, aut, non nullorum sententia, decem fidibus compacta maiorem fabulis luxum apportauit. Quod uero præter tibias, citharas lyras'ue fabulis adhibuerint ueteres, probat Tranquillus, qui eundem Neronem tragœdias cithara cãtasse asseuerauit; & præcipue Canacem parturientem, Orestem matricidam, Oedipodem excœcatum, Herculemque insanum; imo Neapoli ad id munus primum prodijsse; ac ne concusso quidem repente motu terræ theatro ante canere destitisse, quàm inchoatum absoluisset νόμον. Sed ut melius auctoris uerba explicentur, cum inquit, Accessit numerisque modisque licentia maior; pro numeris carminum rhythmos accipiemus. qui prius quemadmodum ex senarijs cõstabant, iam-

Accessit numerisq; modisq; licẽtia maior.

Alt. expositioné.

bóque pede cito, tantummodo absoluebantur, sic postea spondeos, ut tarditate sua nimiam illam pedum celeritatem temperarent, sibi uendicarunt. pro modis autem cantus νόμους, φθόγγους, &, ut aiunt, tonos intelligemus; unde illud in Terentianis comœdijs, modos fecit Flaccus tibijs paribus dextris & sinistris. quibus equidem Tibiæ Citharǽue sonus amplificatus luxuriam quandam adhibuit. Præterea deprauata consuetudo non tantum carminum numeris, canendi modis, musicísque instrumentis luxum, uerumetiam & stilo dicendi opifici ubertatem, insolitamque eloquentiam apportauit. Nam fabulis, quę a' ueteribus simplici, ieiuna, inconditáue phrasi conscribebantur, posteritas orationis ornamenta, artificia, fucum, redundantemque facundiam adiunxit. quam præcipitem uocauit Horatius, ut quidam arbitrantur, factam ob luxum, aut in luxuriem præcipitatam; uel, ut alij sentiunt, uelocem, celerem. quippe nimia hominum festinatione in fabulas properauit; eloquiumque intulit insolitum, nouum, ac maioribus incognitum. An potius ad oratores quosdam, eloquentésue respexit; qui lingua celeri, & exercitata, tanquam præcipites torrentes, in causis dicendis rapiebantur. At quoniã emolumẽti parum ornata copiosaque oratio attulisset, si dignam materiam, quę tractaretur, non habuisset; estque uerborum sonus, ut inquit Cicero, inanis nulla subiecta nec sententia, nec scientia. Fucata quippe oratio, atque redundans absque rerum dignitate, sententiarumque grauitate homini turpissimo iure assimilaretur; qui preciosis uestibus, corporisque elegantiori cultu magnam deformitatem dissimularet. Idcirco poetæ fabularum maiestatem, dignitatemque a' philosophia mutuare consentaneum duxerunt; ea inquam, in qua de bonis rebus & malis, deque hominum uita ac moribus disputatur, a' græcis ἠθικὴ nũcupata. quæ tragœdias comœdiasque grauissimis sententijs, & ad recte uiuendum appositis repleuit. Atque hinc iure auctor eã philosophiæ partem sententiam uocat utilium rerum sagacem. Nam cum philosophia moralis uirtutum, officiorum, ac bene uiuendi disciplinam contineat, cumque omnium benefactorum, auctore Cicerone, benéque dictorum mater sit, nó nisi honesta ac perutilia inquirit, monet, & præcipit. DIVINAM quoque futuri sen-

tentiam consulto nuncupauit; quippe ea futura conijcimus, cũ sapientis proprium sit munus prospicere ac prouidere rerum euentus. itaque non discrepare à delphico oraculo iure dicitur, prænuncians uentura, non secus atque Apollo Pythius uaticinabatur. Atqui philosophiam tantummodo moralem hic Flaccum innuisse ut arbitrer, impulit Aristoteles. Qui ijsdem generibus Epopœiam, quibus tragœdia, constare asseuerans hanc uel simplicem, uel implicitam, uel moralem, uel patheticam esse oportere decreuit. quocirca eorum opinionem nõ sequor; qui sententiam ab oraculo non discrepantem philosophiam naturalem interpretantur; quod physicorum dogmata ipsius Apollinis ænigmaticis respõsis sint obscuriora. quæ enim circa mores, beneque uiuendi præcepta uersatur, obscuritate minime, ac tenebris inuoluitur; imo perspicua, facilis, tanquam materiam pertractans communem, omnibus patet, in promptuque est. Nam etsi in fabulis mysteria quædam à naturæ penetralibus deprompta occurrunt, & quandoque diuinæ matheseos arcana; nihilominus tragœdia atque comœdia ad humanæ uitæ exemplum effictæ cum moribus, recteque uiuendi norma magis conuenire quis ambiget? præsertim quòd auctor ipse paulopost â Socraticis materiam sumendam esse præcipiet.

DE SATYRIS IN TRAGOEDIAM INTRODVCTIS.

hoc è ille q̃ pp̃ hircũ scripsit tragica carmina, satyrica cœpit scriber. ut nõnulli uolunt.

Carmine qui tragico uilem certauit ob hircum,
Mox etiam agrestes satyros nudauit, & asper
Incolumi grauitate iocum tentauit; eò quòd
Illecebris erat, & grata nouitate morandus
Spectator, functusq; sacris, & potus, & exlex.

i. q̃ iã sacrificauerat

Operæpretium erit, antequam ad explicationem transeamus, pauca ad rem necessaria disserere. ac primo repetendum quod supra scriptum est. Horatium scilicet leges, ac præcepta non nulla

nulla mista tradere, quippe quæ ad plura poematum genera attineant, omnes enim ipsius poesis partes, tanquam unius corporis membra, quandam habent inter se conuenientiam; adeo ut heroica plerunque cum Elegiaca, tragica, comicaque re conuenire uideatur. Atque hinc nemo miretur, si quandoque à tragœdia ad comœdiam digressus iterum ad eam reuertatur; ac permixte de utraque præcepta tradat. nam arctissimis coniūctionis uinculis astrictæ sorores quodāmodo germanæ uidentur. Cum itaque pauloante abunde de actibus, choro, tibijsque præcepisset, aliud nūc fabularum membrum subdit; unde uidelicet satyros in tragœdiam introducendi mos originem duxerit. Ac primum quis inuentor fuerit, nusquam obseruasse memini. quantum uero ex Flacci uerbis suspicari possumus; dicendū, priscos illos tragœdiarum auctores, qui hirco donabantur, (unde aliud nominis etymon habemus) ne tunc, cum ab actoribus ad cantores fabula transibat, chorusque intercinebat, spectatores canendi forsitan satietate (πλησμονὴ γὰρ ἁπάντων) defessi abirent, nudos satyros induxisse. qui cum essent semiferi, agrestes, petulantes, facie & corpore ridiculi, risum concitabant, consessumque incompositis saltationibus detinebant, eo quidem magis quòd perfuncti sacris Bacchanalibus ij, qui spectatum confluebant, uino repleti, nullaque adhuc lege luxuriem inhibente, nouis uoluptatum illecebris erant oblectandi. Atque hinc non nulli in chori locum satyros successisse opinantur. Ego tamen satyrorū aduentu sublatum fuisse chorum nequaquam censeo; sed unà cum canentium cōcentu nudos salientesque motus corporis dedisse æstimo; ut non tantum aures, quarum sensus fastidiosissimus, uerum etiam oculi suum oblectamentum haberent; præsertim quòd græci satyron τὸν χορευτὴν interpretantur, nomen quidem ἀπὸ τοῦ χορεύειν deductum; hoc est choream ducere, uel tripudiare. Aristophanes, ὡς ἥδομαι, καὶ τέρπομαι, καὶ βούλομαι χορεῦσαι ὑφ' ἡδονῆς. Quapropter rationi cōsona mihi uidetur eorum sententia, qui chorum proprie saltantium canentiumque cœtum esse statuerunt. Licet quandoque suspicer ueteres ab initio, cū tragœdia sine iocis non multum oblectasset, saltantes satyros excogitasse; ut iocis asperam, seueramque eius grauitatem lenirēt. posteaque sublatis satyris, qui in nimiam petulantiam decide-

rant, choros inuenisse. Et ut facile credam satyros antiquiores fuisse choris, ea ratione adducor, quòd tragœdiam cum satyris nullam habemus ne quidem apud græcos, tanquam rem nimis uetustam, atque obsoletam. Rursus ut satyros non chori sedem post unumquenque actum occupasse, neque cum eo societatem habuisse opiner, cogit Euripides. qui in Cyclope satyrorum cœtum interloquentem induxit; quemadmodum & apud Aristophanem rusticorum chorus nescio quid satyricum redolere uidetur. præsertim quôd Aristoteles tragœdiam ab exiguis fabulis, & ridicula dictione, satyris exclusis, grauitatem, iambicumque metrum uel senarium ex tetrametro & octonario; quo prius utebantur, nam satyrica, &, ut greco utar uerbo, ὀρχηστικωτέρα poesis erat; adeptam tandem quieuisse asseuerauit. Ceterum plerique hic Flaccum non de satyris in tragœdiam inducendis loqui arbitrãtur, sed potius unde satyra aliud poesis genus ortum duxerit. quamuis alij quidam paulo ab hac diuersam ipsius originẽ tradant. morẽ quippe fuisse aiunt uetustissimorum hominum, qui Atticam regionem incolebant, tempore, quo per agros fusi ac dispersi agriculturæ studio detinebantur, quando ab opere rustico ac labore soluti erant, iocosas quasdam cauillationes inter se se uicissim fundere. quod hodie quoque rustici obseruant. id deinde institutum adeo creuit, ut plaustris insilientes in obuium quenque scommata, atque ex tempore iocularia carmina effutisse affirment. quæ postea probris ac maledictis omnibus inspersa uenenatum sibi nomen asciuerunt. Apud Romanos prȩterea satyrã aliud initiũ habuisse Liuius Patauinus his uerbis testatur. Cum Romæ T. Sulpitio Petico, & C. Licinio Stolone Coss. tanta uis pestilentiȩ esset, ut nec humanis consilijs, nec ope diuina leuaretur, uictis superstitione animis ludi scenici, noua res bellicoso populo, inter alia cœlestis iræ placamina instituti dicuntur. Sed parua, ut ferme principia omnia, & peregrina res fuit, sine carmine ullo, sine imitãdorum carminum actu. Ludiones ex Hetruria acciti ad tibicinis modos saltates haud indecoros motus, more thusco, dabant. Quos deinde iuuentus inconditis uersibus inter se iocularia fundẽtes imitari cœpere; nec absoni à uoce motus erant. Accepta itaque res, sæpiusque usurpando excitata uernaculis artificibus; quia hister thusco uer

bo ludio uocabatur, nomen histrionibus inditum. qui non sicut ante incompositum & rudem uersum iaciebant, sed impletas modis satyras descripto iam ad tibicinem cantu, motuq; cõgruenti peragebant. Liuius post aliquot annos, qui ab satyris ausus est primus argumento fabulam serere, suorum carminum actor fuisse dicitur. Postquã uero ab risu & soluto ioco res auocabatur, ludusque paulatim in artem uenerat, iuuentus histrionibus fabellarum actu relicto ipsa inter se, more antiquo, ridicula intexta uersibus iactitare cœpit; quæ inde exodia postea appellata, consertaque fabellis potissimum atellanis sunt. quod genus ludorum ab Oscis acceptum tenuit iuuentus. Verum ad id, unde digressi sumus, redeamus. ac satyros in tragœdiam ad missos ea moderatione arbitremur; quòd suis petulantibus iocis tragicæ grauitati non omnino offecerunt; tantoq; artificio ueteres illos seria cum ludicris miscuisse dicamus; quòd decori summam rationem habuerunt.

DE MODERANDIS IOCIS SATYRICIS.

Verum ita risores, ita commendare dicaces qui malignis salibus hic illuc lacessunt, mordent et [illegible] trant.
Conueniet satyros, ita uertere seria ludo,
ut silenus Bachus, [illegible] *Ne quicunque Deus, quicunque adhibebitur heros*
Regali conspectus in auro nuper, & ostro,
Migret in obscuras humili sermone tabernas:
Aut dum uitat humum, nubes & inania captet.

i. comœdiam

i. in comœdiã, hoc est in humilem et abiectũ sermonẽ, qualẽ Tabernariæ comœdiæ continebant. quæ illa olim dicebantur apud romanos, quæ humilitate personarum, et argumentorum similitudine sunt comœdiis pares dictæ: quod priuatæ domus, in qua scena fingebatur, tabulis tegerent.

Postquam iocos satyricos tragœdiam recepisse dixit auctor, correctionem quasi quandam subijcit, normamq; obseruandam; ne uidelicet dum quispiam ludibria affectet, penitus à grauitate discedat; aut dum satyros derisores, dicaces, aliorumq; uitam carpentes (alludere enim uolunt ad propriam satyræ naturam) in tragœdiam inducere tentet, interloquentibus personis suam dignitatem nequaquam tribuat. quo quid turpius absurdiusue dicit poterit? Exempli causa si immortalis, aut heros regali ue-

nubes et inania. i. des[eren]s personã tragicã in comœdia.

ſte, ſplendidaq́ue purpura conſpiciendus in ſcenis adeſſet; qui poſt modum tragica grauitate cum ſatyrica laſciuia confuſa, in uilem, abiectum, humilemq́ue ſermonem incideret, qualem tabernariæ comœdiæ continebant; ac pro Deo uel ſemideo obſcurus ignobiliſq́ue appareret, perinde atque ij, qui in tabernis ſordidum quæſtũ faciunt; quos tabernarios Cicero, ciuitatumq́ue fecem iure nuncupauit. Contra uero magnopere cauendum, ne humilitatem alius euitans in cœlum ſe erigat. nam ſapientum omnium decreto a' mediocritatis linea nullo pacto eſt diſcedendum. Sunt præterea grammaticorum non nulli, qui Flaccũ hic innuere arbitrantur; ne perſonæ tragicę, quales Dij heroes ue, in comœdiam admittantur; ac rurſus ne infimas ac ſordidiſſimas, quales tabernariæ comœdiæ expoſtulabant, tragœdia recipiat.

i. inepte et imprudẽter emittere. est et uana dicere, et inaniter fidare et impromeditate loqui, nulla habita temporis ut personarum ra.

¶Effutire leues indigna tragœdia uerſus,
Vt feſtis matrona moueri iuſſa diebus,
Intererit ſatyris paulum pudibunda proteruis.

Nunc demum appoſita matronę comparatione confirmat quod iam præcepit; Tragœdiam ſcilicet, q̃ grauis, atque ſeuera indignatur ridiculos uerſus effutire, cum modeſtia quadam ac pudore laſciuientes ſatyros accipere oportere. non enim adeo iocis oblectari debet, ut omnino ſuam dignitatem amittat; non ſecus atque matrona ſaltare coacta diebus feſtis, & quodammodo geſtire, quod quidem magis attinet ad puellas, ea tamen uerecundia ſaltationem moderatur, ut matronale decus grauitatemq́ue in re etiam ludicra retinere uideatur. QVOD uero non nulli leges haſce pero bſcuras non de ſatyris in tragœdiam introducendis ab Horatio conditas eſſe autumant; cum nulla mentio apud auctores habeatur; imo de ſatyrarũ origine, atque decoro; quę quidem a' ſatyris, quos uetuſtiſſimis temporibus admiſiſſe dicũtur, nomen adeptæ paulatim ſuam formam acceperunt; neque affirmare temere, neque negare audeo; præſertim cum eiuſmodi res nimis antiqua ſit, penituſq́ue ab hominum memoria ſublata. Certo tamen ſcio, quòd unuſquiſque iudicio præditus ac curate uerba Flacci examinans, quam magis coniecturam ſequi oporteat, facile dijudicabit.

DE SATYRICO SERMONE.

Non ego inornata, & dominantia nomina solum,
Verbaq; Pisones satyrorum scriptor amabo;
Nec sic enitar tragico differre colori,
Vt nihil intersit Dauus ne loquatur, an audax
Pithias emuncto lucrata Simone talentum,
An custos famulusq; Dei Silenus alumni.

Nō soli ... amo qui satyras scribo, que sunt inornata et paulo horridiora, sed et que habent ornatum aliquem

Cum de satyris tragœdiæ admiscendis, satyrarum'ue, ut alij censent, initijs locuti, modum, quo eorum petulantes ioci temperandi sint, ne penitus tragica maiestas minuatur, ostenderimus; locus admonet, ut de satyrico sermone, & quibus uerbis uti oporteat, pauca disseramus. Ac primo cuipiam fortasse rationi cōsentaneum uidetur; ut agricolarum, pastorum, multoq́ue magis siluicolarum satyrorum locutio rudis sit, & incōdita, uerbisq́ue inornatis ac proprijs redundans. quæ quidem dominantia iure dicuntur, quippe à suæ proprietatis possessione non decedunt; idq́ue significantia, ut inquit Quintilianus, in quod primo denominata fuerint, dominari quodāmodo uidentur. Nam translata alium natura intellectum, alium loco præbentia pluribus significationibus, nedum suæ, inseruire constat. rustici enim, atque indocti rem quanque propria uoce nuncupantes simplici sermone, minimeque fucato utuntur; neque metaphoras, aliaue orationis ornamenta noscunt. Vnde Ariphades tragœdos subsannabat, quòd ijs dicendi tropis usi fuerint, qui à communi sermone discrepabant; ut σέθεν pro νοῦ, & νίν, pro ἀυτὸν. atque id locutionis discrimen fuisse asserunt inter eruditos, imperitorumq́ue uulgus ea tempestate, qua sermonem latinum cum lacte sugebant. gręcis enim literis ac disciplinis exculti elegantiori ac perpolita lingua loquebantur; indocti uero neque uerborum delectum, neque contextum habebant. Quod quidem hodie usuuenire patet; ut literati uiri lingua materna, quam uer-

naculam & uulgarem nuncupant, melius elegantius'ue, quàm idiotæ aut rustici, utantur. adeo quòd illorum oratio concinna, ornataque ab horum inculta & subhorrida plurimum differt. Nihilominus cum tragœdia grandiloquium requirat; cumque Aristoteles dictionis perspicuitatem, nō tamen humilitatem probans sermonem contextum ex proprijs nominibus perspicuum atque humilem esse, qualem Cleophontis, Sthelenique, decernat; merito inquit auctor se non solum satyrorum incondita uerba inornataque expetere, nec ita satyricis blanditijs illectum à tragico decoro discedere, ut nullam interloquentium personarum rationem seruet. nam etsi rusticana & inculta uerba satyris conueniunt, tamen non usqueadeo affectanda sunt, ut penitus tragicæ grauitatis obliuiscantur. quinimo satyris s us decor, & locutio tribuēda ea quidem moderatione, ut tragœdiam reminiscantur. cui ueneranda potius, quàm lasciua oratio tribuenda, grauis, penitusque à plebe abhorrens, ut quæ peregrinis referta sit uocabulis. nam peregrinū, quodcunque per translationem dicitur, uel â proprio est alienum, Aristoteles sumit. Qui itidem tragœdos ab Ariphadis morsu defendit; quòd purā loquendi proprietatem euitantes plebeiam locutionem effugerint. Nimis preterea indecorum esset satyrorum petulantia ipsius tragœdiæ seueritatem opprimi; aut nullum seruari discrimē personarum, quas fabula admittat. cum non parum intersit seruus loquatur humilis, an audax pedissequa, an semideus, qualis Bacchi custos Silenus habebatur. Quôd si de satyra proprie locum hunc interpretari uolumus, eam dicamus medium iter inter tragœdiam & comœdiam retinere; stilumque proprium, & characterem requirere; ne in comicam humilitatem decidat, aut contra in tragicam altitudinem extollatur. itaque pro Dauo comœdiam, pro Pithia tragœdiam; quippe ab Lucilio fraudolenta ancilla inducta, uti asserunt, Simonem herum talento emunxit; pro Sileno uero satyram ipsam intelligamus. Et quamuis alij de uerbis, quæ satyris conueniant, Horatium hic agere arbitrentur, ut scilicet aspera sint, & media, quæ tragœdiam æque participent atque comœdiam: ego tamen libenter dixerim nō tantum inculta uerba attendenda, uerumetiam & personarum, quæ interloquuntur, habendam esse rationem. respexisse enim

Ut nihil intersit Dauus ne loquat, an audax Pithias emuncto lucrata Simone talentum. An custos famulusq; dei Silenus alumni.

Flaccum ad priscas satyras opinor; quæ non secus ac tragœdiæ comœdiæ'ue diuersas personas, non nullorum sententia, admittebant. à quibus postea hanc perpetua carminum serie uitia taxantem emanasse uolunt; in qua equidem auctor ipse, Iuuenalis, ac Persius elaborarunt. Præterea si uera est opinio, antequã chorus fabulis adesset, aut in chori locum, aut unà cum eo antiquam tragœdiam satyros accepisse; consentaneũ iudico, quòd hic moneat; ne, dum satyri spectatores oblectandi gratia incondita uerba, scurriles'ue iocos effutiũt, penitus à tragœdia, reque ipsa discedant. Nam, ut abunde supra disseruimus, chorus a' fabulæ materia aberrare nequaquam debet, minimeque a' personarum statu dissentire. Nam si iratus quispiam induceretur, chorus ut corrigat eum necesse est; si miser & ærumnosus, diuos precetur, ut meliorem fortunam consequi sinant. Sed utcunque sit, eruditioribus rem hanc dijudicandam relinquo.

VNDE COMICVM SATYRICVM'VE ARGVMENTVM DEPROMI OPORTEAT.

i. ex cognitis et puulgatis reb. fabulã effingã.

Ex noto fictum carmen sequar, ut sibi quiuis
Speret idem; sudet multum, frustraq; laboret
Ausus idem. tantum series, iuncturaq; pollet;
Tantum de medio sumptis accedit honoris.

i. ut quiuis eandẽ rẽ se praeclare cõscripturũ fore confidat. Idem ausus &c. i. qui postea idẽ attentauerit, sudet multũ. i. in maxi(?)res qdẽ difficultates, quã putarat, incidet. frustra laboret. i. minime qd uolet assequet. Tantũ pollet. i. adeo ualet series q(?) i. iunctura. i. ordo et coctima(?) uerborum conexio aptaq; structura. Tantũ honoris. i. gratiæ, uenustatis, dignitatis accedit. i. adijcit. sumptis. s. uerbis. de medio. i. ẽ cõmuni & nota materia

Quidam haud indocti uiri eo ordine permixto, de quo paulo ante monuimus, comicorum fontem riuulorum nunc Flaccum ostendere censent; unde inquam comœdiæ argumentum depromi oporteat. Quæ quoniam est imitatio uitæ, speculum cõsuetudinis, ueritatisque imago materiam a' rebus notis, communibus, ipsaque uita, & moribus accipere debet. adeo ut unusquisque comicus fabulam suam ex cognitis & peruulgatis rebus effingat. Cuiusmodi sunt iuuenum amores, comessationes, stupra, aut corruptelæ; patrumque in filios acerbæ obiurgationes; in seruos dominorum contumeliæ, minæ, & uerbera; seruo-

rumque in dominos fallaciæ, doli, mendacia, tacitæque demum susurrationes. quibus omnibus, alijsque innumeris id genus rebus refertas habemus comœdias. adeo ut quiuis uulgatam eiusmodi, omnibusque notissimam animaduertens materiam, eandẽ rem se præclare conscripturum fore confidat. Nam quemadmodum facile unusquisque aggreditur ea, quæ percallet; ita communia, uulgaria, & contrita cunctis facillima uidentur. si quis tamen postea idem attentauerit, in maiores equidem, quâm putabat, difficultates incidet; frustraque laborans minime quod uolet assequetur. tantum præter materiam in poemate artificium, ordo, concinna uerborum connexio, aptaque structura pollent. Non enim satis est inuentionem habere, uerum etiam dispositionem, ac elocutionem callere oportet; ipsumque poema rite intexere. Vnde non nulli rem comicam tanquam omnibus notam, uilem, & plebeiam, ut ita loquar, aspernantur. Quam quidem si æqua iudicij lance examinarent, suique ingenij uires in ea conscribenda experiri uellent, eam difficultatem deprehenderent, qua deterriti non amplius contemnerent, imo dignum honorem tribuerent. Nam, ut inquit Socrates apud Platonem, Δύσκολα τὰ καλά. Præterea hac expositione, etsi apte ad mentem Horatij accommodatur, non omnino cogor, ut de comica re hic tantummodo loqui adiurem. Nam non est ab re ut de satyra intelligamus. Quæ itidem â rebus non ignotis, uitijs in quam hominum, ac media uiuendi consuetudine argumentum sumit. Aut quid prohibet, ut permiste de comœdiæ, satyræ, ac tragœdiæ materia pertractare in uniuerso dicamus? quæ quidẽ eodem quasi tramite incedentes â communi uita, & moribus nõ discedunt.

DE SATYRORVM DECORO SERVANDO.

Siluis deducti caueant, me iudice, Fauni,
Ne uelut innati triuijs, ac penè forenses,
Aut nimium teneris iuuenentur uersibus unquam;
Aut immunda crepent, ignominiosaq; uerba.

Parrhasius legit fricti ciceris à frigo uerbo, quod frangere sign. in theatro enim uendebatur cicer, & fricta nux. unde Mart.

Fauni .i. dij syluestris. Syluis deducti .i. e siluarum latibulis in theatrum. caueant .i. uitent. me iudice .i. mea quidẽ iudicio. ne aut unquã, aut iuuenẽt .i. iuueniliter loquant, lasciuiant, uersib. nimiũ teneris .i. delitiosis, mollib., suauib. hoc ẽ ne molles uersus effutiant. aut crepent .i. crepitum edendo, emittant uerba immunda .i. obscena, in malis, impura et nõ simplicia. q; ignominiosa .i. contumeliosa. uelut pene ac nati semper uersati in triuijs, in q̃b. s̃t nugæ ac dicunt urbani [illegible] ac forenses qui n. in foro uersant, hñt [illegible] mordacia dicta scommata ac dicteria.

Offenduntur

Offenduntur enim quibus est equus, & pater, & res,
Nec si quid fricti Ciceris probat, & nucis emptor
Aequis accipiunt animis, donant ue corona.

uendit qui madidum cicer corona. Et pro emptore ciceris & nucis accipitur plebs infima.

Horatius ante quàm à re satyrica ad alia digrederetur operæpretium facturus sibi uidebatur, aliquid de decoro præcipere. Minime quippe deceret Faunos, satyros'ue tunc primum è siluarum latibulis in theatrum deductos, unà cum ciuili & polito sermone urbanos mores præ se ferre, mollesque uersus effutire; perinde ac si in triuijs & foro, ubi urbanitas floret, nati semperque uersati fuerint. cum potius eorum natura rusticitatem postulet, asperam horridamque locutionem. crepitum enim, uerborumque sonitum eos edere magis, quàm uerba, diuus Hieronymus asseruit. Cauendum est etiam, cum procul ab hominum iurgijs, probris, maledictisque ipsi uitam degant, ne uerba contumeliosa obscœna'ue emittant (ni immunda, impura, & non simplicia interpretari malis.) Nam alioqui si Fauni belluæ magis quàm homines uocandi ita loquerentur, ac si urbani essent, decus nequaquam seruaretur; offendereturque senatus æque; qui ab honore, uel curæ similitudine, uel ætate patres dicebantur: omnisque ordo equestris, medius inter eos & plebem; qui equo publico donabantur, resque habebant, hoc est opes & diuitias. Eius quippe dignitatis gradum nemo assequebatur, nisi qui in censu HS. CCCC. habebat. Alij pro eis, quibus est res, simpliciter populi primarios uiros ac locupletes intelligunt. nam qui egestate urgentur, labore perpetuo, ac multo sudore uictum queritantes ad spectacula accedere nõ solent. Alij uero, quibus est res, hoc est potestas, aut imperium, interpretantur. quod non probo. Præterea non nulli pro res reponendum esse rex arbitrantur, ut Aug. Cæsar intelligatur; qui tunc solus iam imperium adeptus Romam, terrarumque orbem regebat, spectaculisque sæpenumero adesse solebat; imo non nunquam ludos uicatim, ac pluribus scenis per omnium linguarum histriones nõ in foro modo, nec in amphitheatro, sed in circo, & in septis fecit; ut asserit Suetonius. Talis ergo principis naris emũctæ cer

rum iudicium magnopere erat formidãdum; cuius equidem cẽsuram alibi Flaccus ita expostulauit; Plotius, & Varius, Mecœnas, Virgiliusque, Valgius, & probet hæc Octauius optimus. Vnde summa ope niti decet, ut paucis uiris, ijsdemque doctis unusquisque satisfaciat; inanesque imperitorum rumores aspernetur. Fit enim plerunque, ut eruditi nullo modo probent, dignum'ue laudibus æstiment, quod indoctorũ multitudo summis præconijs ad cœlum extulit. & hinc haud immerito sapiens quisque ab imperito uulgo, quo nihil incertius, semper abhorret; potiusque de suis scriptis doctissimi illius Persij, cuius equidem iudicij acumen Lucilius reformidans Tarentinis, inquit, se, & Consentinis scribere, quàm Lęlij Decimi sententiam requirit.

DE FABVLARVM THEATRALIVM NVMERIS.

Syllaba longa breui subiecta uocatur iambus,
Pes citus; unde etiam trimetris accrescere iussit
Nomen iambeis, cum senos redderet ictus,
Primus ad extremum similis sibi; non ita pridem,
Tardior ut paulo, grauiorq; ueniret ad aures,
Spondeos stabiles in iura paterna recepit,
Commodus, & patiens; non ut de sede secunda
Cederet, aut quarta socialiter. Hic & in Acci
Nobilibus trimetris apparet rarus, & Enni.

Pes citus à Terentiano præpes dictus, ab Ausonio uelocior Parthorum sagittis.

Locus hic ab auctore exigere uidebatur, cum de omnibus, quæ ad theatrales fabulas attinebant, abunde præcepta tradiderit, cumque de earum materia copiose disseruerit, ut de forma quoque suas præceptiones adijceret: rem equidem silentio minime prætereundam: & quibus numeris ipsas cõscribi oporteat ostẽderet. Nam etsi antea iambico uersu contexendas esse monuit,

cum inquit,

Hunc socci cepere pedem, grandesque cothurni
Alternis aptum sermonibus;

Cum tamen ibi in uniuersum, & quambreuissime de cunctarum rerum diuersis metris præceperit, merito nunc materiam omnẽ scenicam plene, & cumulate pertractans de congruenti numero pauca disserere minime superuacaneum duxit. Ac primo iambum pedem esse citum, uelociterque currentem ducet; ut qui ex breui syllaba & longa compactus perapposite inuetus est ad aliquem probris, maledictisque uexandum. Ea quippe contumeliæ est natura, ut à paruo initio orta maiores uires, atque incrementa semper accipiat. quoniam uero propter temporis breuitatem concitatiori cursu profluebat, factum est ut bini pedes in scandendo coniungerentur. Vnde licet senarius proprie uersus dicatur sex pedibus uinctus, tamen quia scansio binos copulauit ob nimiam eius celeritatem nomen trimetri sortitus est. Et notandum artificiose ictum pro pede usurpasse; nam harmonia quadam carmina cõnectuntur, non secus atque humani corporis pulsus (ita quippe à medicis uocantur) modulis, legibusque metricis morbos indicant. An similitudinem sumpsit à digitorum percussionibus, quibus ratio mensuraque cantus, & quandoque carminis deprehenditur? unde illud,

Legitimumque sonum digitis callemus, & aure.

Quidam alij secus auctoris uerba exponunt; accessisse uidelicet nomen trimetris iambicis. nam cum sex pedibus absoluerentur, iure uocati fuerunt senarij, maxime spondeo stabili admisso. qui duas longas syllabas cõprehendens quatuor temporum tarditate (ut grammatice loquar) iambicæ celeritati obstitit; ut non ita leuior, spondaica inquam grauitate moderatus, ad spectantium aures euolaret. spondeum quippe seueritatem habere illud est argumento; quòd olim Damon cernens quosdam iuuenes Baccho concitatos, honestæque mulieris domum inuasuros, tibicini iussit, ut spondeum subcineret. quod cum ille fecisset, cantus grauitate impetum repressit, sedatiorique concentu ardorem restinxit. quamuis Quintilianus id Pythagoræ tribuat. Sed non ita pridem senarius uocabatur; adhuc enim spondeum non admiserat, imo totum carmen ex ter binis iam-

bis constabat. Postquam uero societatem cum eo coiuit, iure commodi & patientis nomen meruit; qui ob cõmunem usum, melioremque uersus condecẽtiam in suam domum libenter alienigenam admiserat, de sua possessione ab alio depelli æquo animo passus. à iure tamen penitus suo non decedens aliquam prerogatiuam sibi seruauit. Non enim promiscue omnibus locis recepit, uerum imparibus tantum, tertia inquam & quinta sede; nam secundam & quartam tanquam propria domicilia à nemine occupanda excepit. Atqui Ennius, Acciusque uetustissimi poetæ raro spondeo usi fuerunt. Eorum quippe ætate iamborum nimiam celeritatem spondaica mora comprimi oportere nondum animaduerterant. quod quidem posteritas, ut in non nullis alijs euenisse liquet, excogitauit. Demum (etsi quorundam sententia arridet, qui iura paterna locos impares exponũt arithmeticorum ratione; apud quos imparem numerum maribus, parem fœminis attribui uolunt, adeo ut ille patris, hic uero matris nomine decoretur) posse tamen paternas possessiones simpliciter intelligi nequaquam inficior. ut sedes iampridem à se possessas, &, ut ita loquar, a maioribus patri, atque ab eo rursum sibi hæreditario iure traditas interpretemur.

In scenam missos magno cum pondere uersus
Aut operæ celeris nimium, curaq; carentis,
Aut ignoratæ premit artis crimine turpi;
Non quiuis uidet immodulata poemata; iudex,
Et data Romanis uenia est indigna poetis.
Idcirco ne uager, scribamq; licenter? an omnes
Visuros peccata putem mea? tutus, & intra
Spem ueniæ cautus, uitaui denique culpam,
Non laudem merui.

Immodulata, sine modulo, rhythmo, numero. Parrh.

Cum pauloante iambis spondeos admiscendos tanquam à maio

ribus receptos ſtatuerit, monet hic animaduertẽdum, ne quiſpiam ſpondaicæ grauitati addictus iambicam leuitatem penitus aſpernetur; aut ne dum ſpondeorum tarditatem nimium affectare uelit, grauiores turgidioresq́ue uerſus emittat. Nam ex mora, ut phyſici aſſerunt, ſonus fit grauior. Quòd ſi res quãdoque id poſtulat, & præcipue tragica, quæ uerborum pondus requirit, non tamen adeo maieſtati adhærẽdum arbitror; ut omnino comicæ humilitatis obliuiſcamur. quæ quidem hoc uno tantum à quottidiano ſermone diſtat, quòd uerſiculis intexitur. præſertim quòd materia ipſa quandoque carmina pręcipitantia, & concitata poſtulat; quandoque uero tarda, atque ſedata. Qua propter poetam acerrimo iudicio prẹditum eſſe oportet, ut unâ cum uerſu & rei, quæ tractatur, rationem habeat; auriumq́ue diligentiſſimum conſultorem, ut rite dijudicet melius ne cunctatio, an uelocitas concinat. Nam, ut inquit ille, aures conſulendæ ſunt; quæ plerunque quid ſuaſerint, id rectiſſimum ſolet eſſe. Adhibendam quoque innuit auctor ſummam diligentiã, ut quiſque artem perdiſcat, inq́ue limandis carminibus diu elaboret. Qui enim ſecus egerit, à criticis tanquã artificij inſcius, quo nihil turpius, iudicijq́ue penitus expers iure damnabitur. Nam ſapientes, ac periti nunquam ſibi uendicant quæ non per callent; inaniſq́ue gloriæ uanam auram cõtemnentes in uulgus ſuos partus emittere temere non audent. Atque utinam huiuſmodi accuratam circumſpectionem recentiores haberent; quorum non nulli pedes tantum, & numeros attendentes recondita arcana, quæ ars continet, aſpernantur, digni quidem ut ab omni poetarum choro detrudantur. Sunt præterea alij quidã imperitorum multitudine confiſi, ac doctorum paucitate, qui recti iudicij trutina ſcripta examinent, artemq́ue ſpernentes facillime in peccata incidant; & quòd etiam Romanis poetis ab antiquis indigna uenia data fuerit, ea quidem tẽpeſtate, qua ex inſcitia plurimum laborabant ſcriptores pariter, atque cenſores, ſponte ſua uituperationem ſubeunt. Idcirco ne, inquit Horatius, cum pauci errata deprehendant, ac plerunque deprehenſis ignoſcãt, impune ab artificij linea diſcedam, licenterq́ue ſcribam? an potius, quod ſapientis eſt, omnibus mea crimina perſpicua fore cẽſeam? cum homines ſuapte natura lynceis ocu

tutus, et intra spem ueniaeque caumes, uitamque denique culpam, non laudem merui.

lis aliena peccata, sua uero lippis cernant; cãtus tamen intra im punitatis spem. Nam etsi me peccasse liquebit, ueniæ tamẽ clypeo tutus iustam obiurgationis pœnam effugiam. Verum esto ita culpa euitetur (nam qui delicta confessus ueniam petit, supplicium lenire uidetur) non tamen gloriam aucupabor, qua unusquisque ad studia, immensosque labores ducitur. Non nulli locum hunc secus interpretantur. intra inquam spem ueniæ tutus, hoc est ipsa uenia nequaquam confisus omnem laudis spem in doctrina, atque arte mihi proposui. Nam intra famã dici uolunt grammatici simili loquendi modo, citra opinionem; ultra uero contrarium significare; adduntque illud Quintiliani testimonium, Hortensij scripta tamen intra famam sunt. Ita quoque & apud Ciceronem modice cum modo, intra modum, citra, hoc est minus quàm modice exponunt. Vnde intra uocabuli, cui apponitur, significationem minuere patet, ultra uero augere. Quæ quidem obseruatio licet ueritati consona sit, ne scio tamen quo sensu Flaccus dixerit eos, qui à peccatis abhorrent, ueniamque aspernantur, culpam uitare, non laudem merere; cum potius summis præconijs ad cœlum sint extollendi; præsertim quòd apposite ad superiorem sensum intra spem ueniæ dicitur usitato locutionis genere; quemadmodum intra præsidia, intta mœnia, & alia id genus. Notandum denique (ut aliqua ad contextum pertinentia attingamus, cum oportuerit) dictionem illam iudex superioribus uerbis esse annectendam; ut struatur. Iudex premit ignoratæ artis turpi crimine uersus in scenam missos magno cum pondere; iudex inquam, censor, & criticus naris emunctæ; non enim quiuis poetarum uitia, erroresque animaduertit.

GRAECA EXEMPLARIA ESSE VOLVENDA.

Vos exemplaria græca
Nocturna uersate manu, uersate diurna.

Quoniã uero à Græcis omnes ingenuæ disciplinæ, & artes, quas uocant liberales, emanarunt; ipsaque poesis perfecta & polita

Romam uenit, quippe in ea præstantissima uatum ingenia elaborauerant. tantaque apud illos poetarum floruit multitudo, ut latinis facultatem scribendi quodammodo abstulerint. Nam quid nostri conscripserunt, quod ab illis non mutuati fuerint? comœdiarum'ue, quas habemus, nonne maior pars à græco fonte defluxit? Tragœdias uero latinas quot legimus, nisi paucas? easdemque fortasse non nimium cultas; quæ Senecę ascribũtur. Nam quas maiores condiderunt, temporumque lapsu omisimus, constat græcorum quoque imitatione fuisse conscriptas. Idcirco Horatius exemplaria græca noctes, & dies uoluenda iubet; à quibus fabularum exempla capi posſint; ingenueque fatetur Romanos græcorum ope indigere.

IN MAIORES PLAVTI LAVDATORES INVEHITVR.

At nostri proaui Plautinos & numeros, &
Laudauere sales; nimium patienter utrunque,
Ne dicam stulte, mirati; si modo ego, & uos
Scimus inurbanum lepido seponere dicto,
Legitimumq; sonum digitis callemus, & aure.

Dicat fortasse quispiam latinitatis fautor. Tu Horati, qui penitus Graijs addictus eorum scripta tantopere extollis, perlegenda, nocturnaque manu uersanda ac diurna præcipis, non ne scis quòd & nostros imitandos habemus? maxime Plautum adeo à maioribus celebratum, ut ei comœdiæ secundam palmam tribuerint (nam primam Cæcilium sibi assumpsisse uolunt) ac Epius Stolo affirmare non dubitarit, Musas ipsas Plautino sermone fuisse locuturas, si latine loqui uoluissent. Respondet auctor, maiores Plauti sales, iocos, & numeros nimium patienter, ne dicat stulte ac temere, laudasse. Nam si modo ego & uos Pisones, inquit (cum quibus fortasse in quottidianis & familiaribus colloquijs aduersus eum coniurarat) uel alij quicunque iu-

dicio præditi non fallimur; lepidumque scimus & salsum ab inurbano & insulso sermonem dijudicare; ac legitimos numeros discernere; eorum profecto decretum est rescindendum; ut qui de Plauto amore potius, quàm ueritate iudicauerint. quôd uero digitis & aure legitimos modulos deprehendi dixerit, ad illud forsitan respexit; quôd uetustissimis temporibus, cum Andronicus satyram excogitauit, ad manum canebant histriones, auctore Liuio. An potius quòd naturæ instinctu digitorum ictu, auribusque legitimos numeros, modos, & uoces obseruant ij, qui Musicam profitẽtur? cantumque manu quodam moderantur? quod quidem hodie faciunt & non nulli græcorum sacerdotes, D. O. M. hymnos concinentes. Nam non musicis characteribus, quas notas uocant, sed manu concentum, uocisque flexiones metiuntur. Versus autem non ne suam habent symphoniam? suisque numeris, & ratione quadam harmonica absoluũtur? Plautus denique (ut ad id, unde digressi sumus, reuertamur) tanquam scurra insulsus, & dicax à quibusdam accusatur; ut qui, dum omni lepore, & uenustate affluens apparere uoluit, ne micam quidem salis præse ferat; admodumque in numeris licentiosus (ut hoc uerbo utar) quippe qui extra trimetros plerunque uagetur. Improbatur quoque eius seruile ingenium, & nimis plebeium, stilusque uulgaris. Et quamuis ei sermonis latini puram proprietatem denegare nequeant, Terentio tamen maiorem tribuunt. Atqui Ego, cum Horatius poetarum grauissimus censor ab eiusmodi reprehensione, singulisque ipsius peccatis deprehendendis supersedendum duxerit, minime decere arbitror, ut & nos homunciones uirum de Latina Rep. tam benemeritum maledictis uexemus.

DE TRAGOEDIAE INVENTORE ATQVE AVCTORE.

Ignotum tragicæ genus inuenisse Camœnæ
Dicitur, & plaustris uexisse poemata Thespis,
Quæ canerent, agerentq; peruncti fecibus ora.

Post

Post hunc personæ, pallæq; repertor honestæ
Aeschylus, & modicis instrauit pulpita tignis;
Et docuit magnumq; loqui, nitiq; cothurno.

Cum pauloante satis græcos commendasset, eorumque exemplaribus adhærendum monuisset (de Plautinis enim salibus ac numeris ueterum iudicium non probauit) argumentis, & rationibus id confirmare non iniucũdum existimauit. Ac primo ostendit illos fabularum cum inuentores, tum amplificatores extitisse. Thespis enim Atticus primus tragœdiam excogitasse fertur. quamuis eum alij sextumdecimum ab Epigene Sicyonio primo tragico numerent, alij secundum. Ego tamen tragœdiam id initium habuisse opinor, quod ab Aristotelis reconditis thesauris pauloante deprompsi; Thespimque ipsum, quod satis constat, nouam actionem induxisse facile crediderim. ut scilicet cantores, actoresque fecibus ora peruncti, ne agnoscerentur, postea τρυγοδαίμονες nuncupati (unde & aliam tragœdiæ etymologiam deducunt, ut sit τραγῳδία quasi τρυγῳδία) plaustrisque inuecti fabulas canerent, agerentque. Et hinc τρυγοκωμῳδίας quoque nomen emanasse uolunt; quamuis alij a nouo uino deriuant, quo præmio histriones donabantur; τρύγα enim non tantũ fecẽ, uerũ etiam & mustum significare constat. Non nulli uero eum primo non fece, sed fuco, qui græce ψιμμύθιον dicitur, ora infecisse asserunt; ac deinde personæ linteæ usum, quæ faciem tantummodo uelaret, adinuenisse tradunt. Nam quorundam interpretatio, qui illud uexisse plaustris poemata, tam multa uolumina conscripsisse, ut plaustris uehi oportuerit, exponunt, nullo modo mihi arridet. Eius quippe dramata uix quattuor, aut quinque memorantur. Natura deinde omnium parens, quæ temporum interuallis uiros eximio, atque acerrimo fingit ingenio, Aeschylum ad amplificandam rem tragicam procreauit. Nam, ut Aristoteles author est, primus τῶν ὑποκριτῶν πλῆθος ἐξ ἑνὸς εἰς δύο ἤγαγε, καὶ τὰ τοῦ χοροῦ ἠλάττωσε, καὶ τὸν λόγον πρωταγωνιστὴν παρεσκεύασε. Excogitauit quoque personam non illam fœdam ex lino intextã, sed pulchriorem, qua posteri usi fuerunt; honestamque pallã,

uestem equidem ad talos demissam, qua tragœdi uterentur. & cum adhuc tanta fabulis luxuria, theatrisque splendor non accessisset (tenui enim apparatu gaudebat antiquitas) ipse cœpit modicis trabibus pulpita extruere. addidit præterea tragœdijs grandiloquium, ne tãtum rem histrionicam auxisse suspicemur; docuitque scriptores niti cothurno, hoc est altiori stilo intonare; nam antea humiliori & quodammodo rustico cõscribebant. uel ideo niti cothurno eum docuisse intelligamus; quòd primus cothurnos, ut aliqui arbitrantur, adinuenit, quibus tragœdiarum actores niterentur. Fit enim plerunque, ut ij, qui fabulas agunt, crure dextro, uel sinistro innitentes melius gestum, motumque corporis ostendant. Itaque Aeschylum non tantum quæ ad stilum, apparatum, histrionumque ornatum attinebant, amplificasse dicamus, sed etiam actionem docuisse. Quæ cum sit eloquentia quasi quædam, ut inquit Cicero, corporis constans è uoce, atque motu, ei merito Demosthenes primas tribuit, secundas, ac tertias: nam quid primum in dicendo esset interrogatus, actionem, quid secundum eandem, & eandem tertium respondit.

DE ANTIQVA COMOEDIA.

Successit uetus his comœdia non sine multa
Laude; sed in uitium libertas excidit, & uim
Dignam lege regi. Lex est accepta; chorusque
Turpiter obticuit, sublato iure nocendi.

i. antiquata, aboleta potestate taxandi, mordendi, lacerandi.

i. facultas libere taxandi; carpendi, mordendi nominatim quemcunque. ¶ in uitium, quod nõ, ut ante, indigna factis: sed quique uellent suo arbitratu carperent, licentiusque potestate abuterent, et ex libidine læderent.

Non multo post tempore amplificatæ tragœdiæ successit uetus comœdia, à græcis ἀρχαία nuncupata; &, ut Donatus asserit, ἐτεώνυμος. quoniam prisci illi antiquæ comœdiæ auctores non ficta argumenta conscribebant; sed res gestas à ciuibus, & uitia palàm cum eorum, qui gesserant, nomine decantabant. Fuit equidem primo ab Atheniensibus admodũ laudata, quòd eiusmodi taxãdi libertate ciuitatis mores emendabat. Vnusquisque enim cauebat ansam illis præbere, ut se morderent; siquidem, ut optime

¶ lex est accepta. lata n. lege sanxerunt Athenienses, ne quis crimen infamiæ nominatim, in alterum ingereret: si lesisset, capite multaret. Et obiter alludit ad rom. morem. lex n. ubi suffragijs ciuium probabat: à tribunis accipi dicebat. ¶ Turpiter. i. fœde, ut pote lege coercitus. ¶ Chorus. in quo maledicentiæ gladius estringebatur.

docuit Plutarchus, eam utilitatem uel maximam a' maleuolis capere possumus, ne quid committamus, quod illi uitio iure dare possint. quamuis Aristoteles eam ab initio spretam latuisse asserat. Qui itidem quis chorum induxerit, quis'ue primus apud Athenienses id genus fabulæ inchoarit, his refert uerbis. χορὸν κωμῳδῶν ὀψὲ ποτε ὁ ἄρχων ἔδωκεν, ἀλλ ἐθελονταὶ ἦσαν, ἤδη σχήματα, τινὰ αὐτῆς ἐχούσης, οἱ λεγόμενοι αὐτῆς ποιηταὶ μνημονεύονται. τίς δὲ πρόσωπα ἀπέδωκεν ἢ προλόγους ἢ πλήθη ὑποκριτῶν καὶ ὅσα τοιαῦτα ἠγνόηται. τὸ δὲ μύθους ποιεῖν ἐπίχαρμος καὶ φόρμις ἦρξαν. τὸ μὲν οὖν ἐξ ἀρχῆς ἐκ σικελίας ἦλθε. τῶν δὲ ἀθήνησιν κράτης πρῶτος ἦρξεν, ἀφέμενος τῆς ἰαμβικῆς ἰδέας καθόλου ποιεῖν λόγους, ἢ μύθους. Vbi notãdum quòd hic idem fuit Crates Atheniensis comicus; quem fratrem habuisse Epilycum poetam epicũ refert Suidas. a' quo itidem eius dramata γείτονες, ἥρωες, λαμία, πολῖται, σάμιοι numerantur; & alia quædam prosaice conscripsisse perhibent. Post hunc alterum Craten Atheniẽsem tria dramata composuisse tradit idem Suidas, θησαυρόν, ὄρνιθας, καὶ φιλάργυρον. Inde tres illi antiquorum comicorum præstantissimi floruerunt; Aristophanes inquam Rhodius, uel Lindius, Aegyptius, uel, ut alij arbitrantur, Camerius, qui ab Atheniensibus ciuitate donatus tetrametrum & octametrum inuenit. Eupolis Atheniensis, qui naufragium passus iuxta Hellespontum in bello contra Lacedemonios a' uita migrauit; indeque amplius poetam militare prohibitum fuit; hæc dramata posteritati reliquit, αἶγας, ἀστράτευτον, ἢ ἀνδρογύνους. Demum Cratinus Callimedis filius itidem Atheniensis, ac uinosus magnifico dicendi charactere, & splendido emicauit. quos equidem his carminibus celebrauit auctor.

Eupolis, atque Cratinus, Aristophanes'que poetæ,
Atque alij, quorum comœdia prisca uirorum est,
Si quis erat dignus describi, quòd malus, aut fur,
Quòd mœchus foret, aut sicarius, aut alioqui
Famosus, multa cum libertate notabant.

Postea uero cum poetæ subsannandi quemlibet immoderata licentia abusi bonos plerunque lacerare cœpissent, lata lege sanxerunt Athenienses, ne quis alium nominatim accusaret. itaque chorus, qui maledictorum uenenum fundebat, sublata lædendi facultate turpiter obticuit, abolitusque est, tanquam res inhonesta, atque a' lege abroganda. quamuis alij aliam asserant cau-

ſam; nam quandoque ſpectator tędio affectus tunc, cum ad cantores ab actoribus fabula tranſibat, cōſurgens abibat; itaque chorum tanquam ſurgendi occaſionem ſuſtulerunt. Inde comœdia a' græcis νέα uocata emanauit. quæ inclytos etiā habuit ſuos auctores, de Græcis Menandrum Athenieñſem, promptum animo uirum; atque Strabonem, de quo quidem multus ſermo apud omnes. Hic, auctore Suida, non tantum comœdias conſcripſit, uerum etiam & epiſtolas ad Ptolemæum regem, multasque alias orationes proſaico ſtilo. Recepit quoque noua comœdia in ſuum contubernium ambos Apollodoros, alterum Athenienſem, alterum Geloum Menandri coæuum: cæteros conſulto omitto: de Latinis uero, quos nunc habemus, Plautum, ac Terentium.

LATINORVM LAVS.

Nil intentatum noſtri liquere poetæ,
Nec minimum meruere decus, ueſtigia græca
Auſi deſerere, & celebrare domeſtica facta;
Vel qui prætextas, uel qui docuere togatas.
Nec uirtute foret, claris ue potentius armis,
Quàm lingua Latium; ſi non offenderet unum
Quenque poetarum limæ labor, & mora. uos ô
Pompilius ſanguis carmen reprehendite, quod non
Multa dies, & multa litura coercuit, atque
Perfectum decies non caſtigauit ad unguem.

Ad unguē, adamuſſim, uel diligēti animaduerſione caſtigatum. ſolent enim qui cogitatione abſtrahūtur, quod accidit in penſitādis ſcriptis, unguem mordere.

Quanquam ſummas laudes Græcis nuper tribuit, adeoque eorū ſcripta commendauit, ut tanquam audax & ineptus græculus iure latinitatis contemptor haberi potuiſſet; nihilominus ne à ſuis ciuibus hoſtis adiudicaretur (unuſquiſque enim φιλόπατρις de

bet esse) uoluit suum præconium & Latinis tradere. Quibus equidem non est uitio, aut inertiæ dandum, si eos Græci ab initio omni doctrinarum genere superarunt. quippe ob continuā armorum tractationem literarum studia neglexerunt, inque gerendis bellis adeo occupati fuerunt, atque detenti, ut ne minimiū quidē quietis tēpus populus ille Martis habere potuerit; quo animos ad Musarum amœnitates uoluisset. Nā si quid otij à bellico tumultu dabatur, id omne Ripublicæ administrandæ, atque agriculturæ impertiebant. & hinc sero alma poesis Romam uenit annis post urbem conditam supra CCCC. Postea uero temporis lapsu cūcta attentare, gloriæque non minimum decus a' literis, ne dum ab armis, aucupari libuit; musarumque sacris se se initiari uoluerunt. Qui non tantum græcas res latinis literis illustrarunt, uerum etiam & domestica facta celebranda carminibus susceperunt. Quod quidem uetustissimi illi, Andronicus, Ennius, & alij coæui fecerunt, Romanorum gesta decantantes. unde eorum poemata annales, quòd singulorum annorum gesta continerent, nuncupati. Nisi domestica facta latina, & non græca fabularum argumenta interpretari malumus. Nam post nouam comœdiam latinos multa fabularum genera edidisse auctor est Donatus antiquissimus grammaticus; ut togatas ab argumento latino ita dictas, nam a' græco palliatæ; prętextatas a' personarum dignitate, & latina historia; Atellanas â ciuitate campaniæ, ubi actitatæ sunt plurimæ; Rhyntonicas ab actoris nomine; tabernarias ab humilitate argumenti, & stili; Mimos ab diuturna imitatione uilium rerum, & leuium personarum. Quòd si Græci ab initio Romanos superarunt, perfacile fuit, inquit Cicero, uincere non repugnantes. qui alioqui omnia sapientius per se inuenerunt; atque ab illis accepta meliora reddiderunt, quæ digna statuerint in quibus elaborassent. imo quemadmodum iustitia, prudentia, fortitudine, omni denique uirtute Roma floruit, ne dicam armis, quibus cunctis nationibus antecessit; ita quoque ab eloquentia, omnique artium ac disciplinarum genere, si earū studio se dedisset, perpoliendisque scriptis limam adhibuisset, magnam sibi gloriam dubio procul uendicasset. itaque Latinorum minimam circumspectionem carpit; qui partus edere properantes abortus faciebāt; minimeque

legitimum tempus expectantes fetus imperfectos emittebant. Idcirco uos Pisones, inquit, qui â Numa Pompilio unâ cum sanguinis deriuatione tetricam illam disciplinam, ac seueritatem ducitis, carmen quodque reprehendite; quod nequaquam acerrimi iudicij lance examinatum, interlitum, omniq́ue mendo expurgatum prodierit. in edendis quippe fetibus ursę sunt imitandę, quæ primo informem carnem emittunt, posteaquam lambendo paulatim figurant.

Ingenium misera quia fortunatius arte
Credit, & excludit sanos Helicone poetas
Democritus; bona pars ungues non ponere curat,
Non barbam; secreta petit loca, balnea uitat.
Nanciscetur enim pretium, nomenq́; poetæ,
Si tribus Anticyris caput insanabile nunquam
Tonsori Lycino commiserit. Oh ego læuus,
Qui purgo bilem sub uerni temporis horam.
Non alius faceret meliora poemata. Verum
Nil tanti est. ergo fungar uice cotis, acutum
Reddere quæ ferrum ualet exsors ipsa secandi.
Munus, & officium nil scribens ipse docebo,
Vnde parentur opes, quid alat formetq́; poetam,
Quid deceat, quid non; quò uirtus, quò ferat error.

Hũc esse eũ Lycinum arbitratur Parrhasius, de quo distichõ incerto auctore circũfertur, Marmoreo Lycinus tumulo iacet, at Cato paruo, Põpeius nullo, credimus esse Deos. de quo inquit quoque et Martialis, altaq́; cũ Lycini marmora pulvis erunt.

Postquam satis Romanorum negligentiam notauit, qui parum curæ, parum diligentiæ in examinandis poematis adhibebant, causam reddit; Democritiq́ue philosophi deliram opinionem insectatur. Qua illi forsitan adducti artem, æquamue iudicij trutinam contemnebant. Hic cognomento Gelasinus διὰ τὸ γελᾶν,

auctore Suida, πρὸς τὸ κενόσπουδον τῶν ἀνθρώπων, discipulus Anaxagoræ & Leucippi, uel, ut alij arbitrantur, magorum, chaldæorumque, a' quibus sapientiam edoctum tradunt, negabat quenquam bonum poetam euadere posse sine furore; poeticęque comitem ac sororem insaniam esse opinabatur; imo uates ipsos furere & bacchari quodammodo oportere. Credebat equidem animi impetum, inflammationem, ardorem'ue misera arte feliciorem, melioremque esse; arte inquam iure infelicitatis cognomine nuncupanda; ut quæ ab ridiculo, & insipiente græculo irrideatur, a' sapientibus uiris summis laudibus celebrata. Atque hinc uulgus in eam sententiã iuit, ut diceret nasci poetam, inque uatum concilio non admittendum, qui furore illo, ac furijs, ut ita loquar, non agitaretur, imo, quod absurdius est, non nulli, ut docti haberentur ab indoctis, furere simularunt. quippe qui nunquam ungues resecantes, neque barbam tonsori committẽtes, corporis pariter, ac uitæ cultum penitus aspernabantur; hominumque â conspectu & consuetudine in solitudines, tãquam feræ in latibula, se conferebant; publica omnia loca, ubi frequẽs populus conuenire solebat, fugiebant; balnearumque usum, qui maximus erat apud ueteres, abhorrebant; ut sordidi, inquinati, inculti, horridique apparerent. Stultitia profecto ipsa stultiores, qui inclytum poetæ nomen aucupari credebãt, si perpetuo caput intonsum haberent; caput inquam tanta affectum insania, ut trium Anticyrarum helleboro nequaquam sanari potuerit. Plinius enim helleborum melancholiæ, amentiæque mederi asserit, idque in Anticyra insula esse optimum, ac sumi tutissime, adeo quòd Drusus tribunorum popularium clarissimus eo medicamento in Anticyra sanatus fertur. sanat quoque, eodem auctore, bilem & pituitam. atque inde ortum prouerbium, bibendum ei esse helleborum, qui desipiat. Non nullos etiam studiorum gratia, ut acrius ea perspicerent mentis acumine, quæ cõmentabantur, sæpe sumpsisse helleborum plane' constat. Quod quidem Carneades fecit, cum Zenonis libris esset responsurus. Atqui ego, subdit Horatius Democriti adhuc sententiam deridens, ab insanis insanus habebor; & tanquam stultus, mihique ipsi parum constans, ac sapientum dogmatis contrarius exsibilabor. Qui uerno tẽpore, quo medici potiones præbentes mor-

bis prospiciunt, quos æstas plerunque apportat, atram bilem purgare soleam. cum alioquin in furorem, & maniam prolapsus desiperem; ualetudinemq́ue negligens insanus euaderem poeta, & Democriticus. uerum isti ualeant deliri pseudophilosophi. Nam nil tanti erit, quod in eorum sententiam me ire cogat; aut incolumitati cum animi, tum corporis non consulere; dum falso poeta nuncuper. Extollant quoque maximis præconijs Græci melancholiam, quam nos furorem dicimns, contendantq́ue esse affectionem heroicam; quippe ea uiri præstantissimi, & Sibyllę laborarunt; dicatq́ue Aristoteles arbitrio suo omnes ingeniosos melancholicos. ego tamen me tardiorem esse non moleste feram. Nam, etsi uatis nomen non consequar, fungar equidem uice cotis; quæ cum ipsa incidendi uim non habeat, ferrum tamen acutum reddit, ut facillime præcidat. Ita ego, cum ingenij tenuitas nihil suppeditet, quod Musis dicare ualeam, exclususq́ue omnino a' poetarum cœtu alios docebo; unde munus, & poetica facultas comparetur; quid poetam nutriat, informet'ue; quid deceat, contraq́ue item dedeceat, admonebo. Scio hic non nullos Platonis clypeo circumseptos Democriti aduersus auctorem propugnatores fore, ac pene` patronos. Qui omnes poetas insignes non arte, sed diuino potius afflatu præclara poemata canere, neque prius uim illam condendi carmina adipisci, quàm deo pleni, extra se se positi, atque omnino a' mente alienati fuerint, cum sępe aliâs testetur; tum eo dialogo abunde disserit, quem de poetico furore inscripsit. sanciamus itaque fœdus; ne Horatius noster cum tanto uiro conuenire nō uideatur, quem omnes perinde atque diuinum suspexerunt. Plato quippe furorem mentis alienationem uocat; eamq́ue duobus modis accidere arbitratur: aut ab humanis morbis, quę, quòd hominem mente captum, & quodammodo brutum reddit, proprie dicitur insania; & hæc quidem est, quam Flaccus explodit: aut ab ipso deo prouenire; quę quia supra humana animum erigit, diuinoq́ue lumine a' terrestribus ad supera trahit, iure diuinus furor nuncupatur. atqui hac sine abalienatione nunquam animum recte contemplari posse auctor est ipse idem Plato; cum philosophiam mortis meditationem diffiniuit. Et poeta quidem nunquam recte carmina conscribet, ni

animum a' corpore penitus abduxerit. Nam, ut satis docte, ac perite inquit Maro,

Igneus est ollis uigor, & cœlestis origo
Seminibus, quantum non noxia corpora tardant,
Terreniq́ue hebetant artus, moribundaq́ue membra.

DE RECTE SCRIBENDI FONTE.

Scribendi recte sapere est & principium, & fons.
Rem tibi socraticæ poterunt ostendere chartæ;
Verbaq́; prouisam rem non inuita sequentur.
Qui didicit patriæ quid debeat, & quid amicis,
Quo sit amore parens, quo frater amandus, et hospes;
Quod sit conscripti, quod iudicis officium, quæ
Partes in bellum missi ducis; ille profecto
Reddere personæ scit conuenientia cuique.
Respicere exemplar uitæ, morumq́; iubebo [gloss: i. qua uita]
Doctum imitatorem, & ueras hinc ducere uoces. [gloss: q̃ uiuat] [gloss: i. à uita et morib.]
Interdum speciosa locis, morataq́; recte
Fabula, nullius Veneris, sine pondere, & arte
Valdius oblectat populum, meliusq́; moratur,
Quàm uersus inopes rerum, nugæq́; canoræ.

Democriti insanam opinionem reprobasse non satis habebat, nisi promissa persolueret: unde enim poeticas opes adipisci unusquisque possit, se ostensurum paulo ante receperat. Ac primo aduersus Democriticos Socratem fortissimum ducem constituit; qui prudentiæ telis scribendi recte fontem esse sapientiam contendat. materiam quippe, inquit, copiosissimam, senten-

tiarumq́ue ſiluā ſocratica philoſophia, quā uocant moralē, pręſtabit. Nam Socrates ab Apolline ſapientiſſimus iudicatus τὴν ἠθικὴν ἐπρέσβευσε φιλοσοφίαν; primusq́ue à rebus occultis (ut Ciceronianis utar uerbis) & ab ipſa natura inuolutis, in quibus ante eum omnes philoſophi occupati fuerant, auocauiſſe philoſophiam, atque ad uitam communem adduxiſſe fertur; ut de uirtutibus, & uitijs, omninoq́ue de bonis, & malis quæreret. Cœleſtia autem uel procul eſſe à naturæ cognitione cenſebat; uel ſi maxime cognita eſſent, nihil tamen ad bene uiuendum conferre. Qui enim à philoſophiæ penetralibus, quæ laudandarum artium omnium procreatrix, & parens quaſi quædam à doctiſſimis quibuſque iudicatur, rem pertractandam acceperit, uerborum copiam, ubertatem, atque ornatum habebit; quòd optime rem prouiſam facile appoſita uerba ſubſequentur. etenim ex rerum cognitione effloreſcit, & redundat oratio; eaq́ue uerba Ciceroni ſatis ornata uidentur, cum eiuſmodi ſunt, ut ea res ipſa peperiſſe uideatur. Præterea qui nouit quātum patriæ, quantumue amicis debeat, quo amore in parentes, quo in fratres, quo denique in hoſpites inflammatum eſſe oporteat; qui'ue ſenatoris, iudicis, imperatoriſq́ue officium percallet, ſciet profecto cuique perſonæ ſuum decus attribuere. Quapropter unuſquiſque poeticæ ſtudioſus à philoſophia morali, tanquam uitæ archetypo, & morum exemplari non diſcedens, congruentes partes, accommodatumq́ue ſermonem præbebit omnibus, quos loquentes introduxerit; rebuſq́ue ſerijs, ac ſententiarum grauitate fabularum leuitatem compenſabit. Nam (ut alia poematum genera omittamus, quæ non tantum moribus, uerum etiam & naturæ arcanis referta ſunt) comœdias omnes, tragœdiaſq́ue, ni pondus â præceptis, ac ſententijs ad quottidianam uitam ſpectantibus accepiſſent, quid aliud eſſe, quàm ieiunum ſermonum, ſterilemq́ue materiam diceremus? Huc ſpectare uidetur & Ciceronis decretum: qui, cum omnis philoſophia in tres partes diuidatur, in naturæ uidelicet obſcuritatem, diſſerendi ſubtilitatem, inq́ue uitam, & mores, duo prima relinquens, tertium locum de uita, & moribus tanquam proprium oratori tribuit. Atqui poeta finitimus eſt oratori, numeris paulo aſtrictior, uerborum autem licentia liberior, multis uero ornandi generibus ſocius, ac

pene' par. Ad hæc poema bene moratum, locisque philosophicis ornatum, utilem'ue continens materiam, sine tamen uenustatis lenocinio, aut uerborum maiestate, aut constructionis artificio, melius spectantem populũ oblectat, detinetque, quàm exornatissimis uersibus, nulla subiecta sententia, neque scientia. Qui licet bene tornati, rotundi, modulateque sonantes facillime fluere uideantur, sine tamen rerum & sentẽtiarum pondere nugæ canoræ merito nuncupantur; ut qui inanes tantum modo sonos fundant, auribusque perstrepant. Animaduertendum denique est, Horatium, dum materiam a' moribus sumendam decernit, non omnino eam philosophię partem, quæ a' Gręcis φυσικὴ dicitur, aspernari. Multi quippe loci naturæ secretis redundantes (ut de Empedocle & Lucretio sileã, qui poemata de rerum natura conscripserunt) passim in antiquorum uatum libris, Homeri præcipue ac Maronis occurrunt. Quinimo utranque philosophiam uniuerse commendasse opinor; cum inquit, recte scribendi fontem esse sapientiam, rerum equidem diuinarũ, humanarumque scientiam; cuius studium philosophia â ueteribus dictum: postea uero sigillatim theatralium fabularum materiam â socratica depromendam esse iure statuisse. quoniam â quottidiana uita, hominumque moribus nequaquam eas aberrare decet.

GRAECORVM LAVS.

Graijs ingenium, Graijs dedit ore rotundo
Musa loqui, præter laudem nullius auaris.
Romani pueri longis rationibus assem
Discunt in partes centum diducere. Dicat
Filius Albini, si de quincunce remota est
Vncia, quid superat? poteras dixisse triens. ohe
Rem poteris seruare tuam. redit uncia, quid fit?

Greci .n. contempto oi divitiarum genere, lucri minime appetentes, toto se contulerũt ad laudẽ parandã huiusque unius cupiditate inflammati, maximos suscipiunt labores: nostri vero aetatis homines in civitate romana longe diversam sequuntur rationem: nã in primis tenentur cupiditate auri, avaritiaque impulsi, scientiarum oe genus negligunt, et ratiocinandi, metiendi artem discentes, dant operã, ut assẽ in centũ partes, si opus sit, sciant dividere, et ad oem propositi quaestionẽ in huiusmodi re quamprimum respondere: neque hoc unus plebs facit; sed nobilissimus ...

Semis. adhæc animos ærugo, & cura peculi
Cum ſemel imbuerit, ſperamus carmina fingi
Poſſe linenda cedro, & læui ſeruanda cupreſſo?

Quis igit' sper' huiusmodi hoies, qui lucro semp' intenti sunt, neq; aliud dies noctesq; cogitant, qua ratione primonium auger possint, poemata scripturos, que posteritati mandat, et ad eorum quaeriant manus q post innumerabiles anos victuri sunt.

Digna cedro dicunt, quae pmerent immortalitatē: et eiusmodi iudicent ut posteritati conservari debeant. Ab arboris natura cuius succo que sit illita non sentiut cariem.

Cum pauloante â philoſophiæ perenni fonte poeticos riuulos deducendos eſſe monuerit, cumq́ue omnis philoſophia â græcis auctoribus inuenta pariter, atque exculta fuerit, eos nunc admodum commendans ætatis ſuæ auaritiam carpit. Nam etſi quidam nimio latinitatis amore incenſi, alienæque laudis obtrectatores gloriam hanc græcis tribuere noluerint; Horatius tamen, cum Ariſtoteles ἀμφοῖν ὄντοιν φίλοιν ὅσιον εἶναι ſtatuat προτιμᾶν τὴν ἀλήθειαν, ingenium, atque eloquentiam aſcribit. &, quod mirantur nonnulli, M. Tullius, â quo quidem Græcia male audire ſolebat, ueritate adductus illi literas concedit, multarumque artium diſciplinam; ſermonis leporem, ingeniorumq́ue acumen, ac dicendi copiam non adimit. Nam Græci, alioqui genus in gloriam ſuam effuſiſsimum, omnem ſibi literarum, artiumq́ue laudem ſibi uendicare iure uidentur; quippe ut eam tanquam laborum mercedem reciperent, magnopere deſudarunt. Contra Romani auaritia, qua nullum eſt tetrius uitium, obcæcati pueros ſuos non ingenuarum artium, diſciplinarum'ue doctoribus erudiendos tradebant, ſed calculo inſtituebant, ut ab ineunte ætate computandi, ſubducendiq́ue rationes addiſcerent. Quòd ſi nobilis cuiuſpiam filius aſſem in partes diducere ſciebat, exempli cauſa, de quincunce ſubtracta uncia trientem ſupereſſe, uel contra unius acceſsione ſemis fieri; omnes ſtatim mirabantur; aſſerebantq́ue eum eſſe aptum, & peridoneum rebus ſeruandis, augendisq́ue. Huiuſmodi ergo, inquit, ardenti auaritia; quæ eſt ærugo quaſi quædam animorum (nam ſicuti rubigo ferrum exedit, ita immoderata numorum auiditas cor abſumit) quæſtus'ue cura cũ à pueritia ſe ſe imbuerint Romani; non erit amplius ſperandum eos rite carmina poſſe condere; quæ cupreſsinis ſcriniolis ſeruari mereantur; oleoq́ue cedrino aduerſus tineas perungi. Nam, ut auctor eſt Plinius, cedrus arbor eſt in Creta, Africa, & Syria laudatiſsima; cuius oleo peruncta materies nec tineam, nec cariem



ſentit. Et alibi idem refert Pompilij Numæ ſepulchrum an. poſt eius obitum D.XXXV. fuiſſe inuentum cum libris minime corroſis, à tineis'ue tactis; quòd cedrati, hoc eſt oleo cedrinô peruncti fuerant.

DE TRIPLICI POETARVM GENERE.

Aut prodeſſe uolunt, aut delectare poetæ;
Aut ſimul & iocunda & idonea dicere uitæ.

Quanquam à philoſophia morali utilem materiam depromendam eſſe ſanxit, moratumque poema ſatis probauit; cum tamẽ poeſis ad oblectandum partim, partim uero adiuuandum inuenta uideatur, ne aliquis exiſtimaret omnino à uoluptate eam eſſe alienam, uatum omnium uniuerſali diſtinctione eiuſmodi ſcrupulum euellere ex animis neceſſarium duxit. Quapropter triplex poetarum genus conſtituit: nam aut proſunt, aut oblectant, aut utrunque perficiunt, quod equidẽ laude dignius eſt. Proſunt inquam qui diſciplinarum præcepta, artium'ue, tum præſertim quę moralia uocantur, carminibus tradunt, recteque uiuendi normam edocent. Empedocles enim Lucretiusque res phyſicas, Aratus & Manilius cœleſtes conſcripſerunt; Heſiodus ac Maro de re ruſtica, Horatiusque ipſe de arte poetica præceperunt. Quarum rerum cognitio utilis eſt, ac neceſſaria; iocunda uero non admodum, niſi ab emolumento uoluptatem præbeat. Moralis quoque philoſophia ſuos habuit uates egregios. Nam Theognis Megarenſis ad Cyrnum γνωμολογίαν elegis uerſibus, ac multas alias præceptiones condidit paræneticas. Phocylides Mileſius philoſophus eius coæuus carmine admonitiones, & ſententias abſoluit; quas κεφάλαια inſcripſerunt. Quin etiam Pythagoras Samius carmina à ſententiarum fructu aurea nuncupata exaraſſe fertur. Atqui paſtorum res ludicras, amatoriaſque, & inanes fabellas pertractarunt, uoluptatis plurimum

præbent, utilitatis uero parum. Nam (ut de græcis pariter qui busdam, ac latinis taceam, qui meras nugas susceperunt) quid inanius, leuiusque effingi potuisset, quàm βατραχομυομαχία? Homero tamen doctrinarum parenti ascribitur. ut argumento sit ueteres poetas quãdoque utilitatem, quandoque in conscribendis poematis oblectationem spectasse. Alij uero eruditissimi uiri, acri iudicio præditi, ac ingenio penè diuino uoluptatem, fructumque carminibus complexi iucunda pariter atque utilia poemata posteritati reliquerunt. multa enim ab illis oblectationis causa efficta uidentur, alioquin expressos mores, insculptamque uitæ imaginem sub falsitatis umbra continent. Nam & uetustissimi illi, qui ab initio poetica mendacia excogitarunt, illud sibi scopum proposuisse uidentur; ut sub fabularum inuolucris doctrinarum mysteria, mores, uiuendique modum inuoluerent. Quid rursus tragœdias comœdiasque esse dicemus, quàm fabularum pigmentis coloratam hominum uitam? aut quid prętерea Homericum poema, Vergilianumque, nisi pomaria satis amœna, omni uoluptate referta, omni denique fructuum, omnique pomorum genere redundantia appellabimus?

QVID VNVMQVODQVE GENVS POETARVM DECEAT.

Quidquid præcipies, esto breuis; ut cito dicta
Percipiant animi dociles, teneantq; fideles.
Omne superuacuum pleno de pectore manat.

Operępretium est discere quid unumquęque poetarum deceat. non enim satis sibi fecisse uidebatur Horatius, quòd eorum genera explicauit, ni sua cuique iura pręscripsisset; cum artis præceptiones tradere instituerit. Ac primum eos, qui omni uoluptatis illecebra abiecta prodesse tantummodo uolent, digressionum lenocinia, uerborum circuitus, descriptionum'ue splendores, aut alia quæcunque ornamẽta, & flosculos aspernari iubet. quinimo breuitati, quæ quidem ad docendos animos admodum

idonea habetur, maxime studendum esse monet; minimeque à iuuandi ac præcipiendi linea errandum; ut discentes præcepta facilius comprehendant, memoriæque thesauro recondita quã diutissime seruent. Nam cum loquacitas fastidium pariat, ac satietatem, quæ quidem docilitati aduersantur; nunquam bene docebit, qui nimia uerborum copia redundauerit. Proinde sermonis huiusmodi contractionem cunctos, qui artium, disciplinarum, morum, aliarum'ue rerum præceptiones tradiderunt, accurate obseruasse patet. Quorum omnium in hisce poeticis legibus conscribendis auctor ipse consulto breuissimus fuit; ut desinant hallucinari, qui nimiam ei breuitatem crimini dare conantur. Etsi quandoque poetas a' sterilis materiæ angustijs in ubertatis campos digressos esse non inficior; quemadmodum fecit Maro in Georgicis. Verum id licentię, qua tunc fungebantur, condonetur; Maronianique animi fœcunditati ascribatur, atque amplitudini; quę non facile coarctari poterat; prędertim quôd illis temporibus nondum poeticarum legum uinculis astricti tenebantur. nos tamen posteri Flacci prudentissimi legum latoris iussa rata, & firma habeamus.

Ficta uoluptatis causa sint proxima ueris;
Nec quodcunque uolet, poscat sibi fabula credi;
Neu pransæ Lamiæ uiuum puerum extrahat aluo.

At qui oblectationis causa utilitati parum prospiciunt, uoluptatique tantummodo inhiant, non idcirco nullis terminis ius suũ circumscribere, aut definire debent; ut sibi quidquid libeat, mentiri liceat; quæ'ue confingant, omnino sint a' ueritate procul. nam si non uera, saltem uerisimilia comminisci oportet. alioquin ijs, quę temere effinguntur, fides nequaquam adhibetur; imo tanquam uana insomnia ab omnibus contẽni solent. Quis enim puerum a' Lamia deuoratum, rursusque uiuum ab utero extractum credat? aut ab eiusmodi impudenti mendacio non abhorreat? præsertim quòd poetę, auctore Aristotele, etsi non est facta uera narrare, ut qui nomen à fingendo duxerit; est tamen

quemadmodum uel fieri potuerint, uel uerisimile, aut necessarium fuerit, explicare. uates quippe atque historicus non eo tātum, quòd ille carmina, hic uero solutam orationem exarat, inter se differunt, sed quòd historia res gestas enarrat, poesis autē ut geri potuerint. Quòd si in portentosa eiusmodi figmenta de ueteribus quidam inciderunt; id euenisse dicamus propter nimiam libertatem; qua illos fuisse abusos paulo ante demonstrauimus. Proinde ob peccata maiorum animaduersa posteri diligentiores, cautioresque esse debent. nam, ut inquit ille, feliciter sapiunt qui alieno periculo sapiunt. Vetustos præterea sapientes ab eiuscemodi monstrosis fabulis ualde abhorruisse, illud est argumento, quòd Plato ea de causa, tum ob inhonesta dedecora, quæ de dijs excogitauerat, Homerum uatum omnium patrem à Rep. quam informandam susceperat, expelli iussit. Pythagoras quoque, ut non nulli tradunt, ad inferos se descendisse asserebat; Hesiodique animam æreę columnę uinculis alligatam, stridentemque uidisse; Homeri uero ab arbore prudentē; pœnas equidem figmentorum persoluentes, quę de dijs temere, ac turpiter effinxerant.

Centuriæ seniorum agitant expertia frugis;
Celsi prætereunt austera poemata Rhamnes;
Omne tulit punctum qui miscuit utile dulci,
Lectorem delectando, pariterq; monendo.
Hic meret æra liber Sosijs, hic & mare transit,
Et longum noto scriptori prorogat æuum.

Omne tulit punctū, omniū suffragio, atq; consensu probabitur. sumptū à comitiorum consuetudine; in quibus suffragia punctis notabantur. & qui plura habebat pūcta, magistratum adipiscebatur.

Animaduertens Horatius non omnes ijsdem rebus oblectari, cū alij alia expetant, &, quod uulgo inoleuit, quot capita tot sententię, ut cunctis pariter satisfieret; ijs inquam, qui à carminibus fructum, tum ijs, qui uoluptatem quęrunt, illud poema summis laudibus extollendum censet. quod graues sententias, morum pręcepta, & (ut ita loquar) uitę characterem continet, iucunditatisque illecebras, ac uoluptatum dulcia condimenta prębet;

Cū in theatris sedat duplex hominū genus, qui & dignitate et ætate differunt, utriq; ē inseruiendū. Ita senatores et oēs q prouectior sit ætate maxime probant ea poemata quę utilitatē afferant audientib; ad mores rectè effingendos. Equites uo q tantum nō sunt seueritate, neq; eo ætatis peruenerunt, austera poemata negligunt, neq; audire æquis animis uolunt. Quicunque igit poeta, utrisq; fuerit assecutus, ut & psit, et oblectet, is sane ab oib; pbabitur.

prębet; delectando pariter, atque monendo. Siquidem, ut asserebat Domitius Piso, thesauros oportet esse libros. Talis quippe codex serijs rebus, iocosisque affluens omnium iudicio, suffragio, atque consensu probabitur; bibliopolis quoque magnũ lucrum apportabit; exterisque à nationibus, & gentibus emetur; imo auctoris nomen immortalitati tradet. Notandum pro centurijs seniorum senatores ipsos intelligi; qui ob ætatis, dignitatisque seueritatem non nisi seria commendabant; pro Rhamnensibus uero (nam metri necessitas coarctauit nomen) equestrem ordinem. qui procul â senatoria grauitate poemata austera aspernabantur; dulcia uero, & uoluptaria amplexabantur. Romulus enim, ut auctor est Liuius, cum populum in triginta curias diuisisset, tres equitum centurias, Rhamnenses ab ipso, à Tito Sabinorum rege Titienses nuncupatas (nam Lucerum nominis, atque originis causa incerta) conscripsit. Quamuis non nulli centurias seniorum proprie ætate prouectorum cateruas interpretentur; qui naturali austeritate, & supercilio à ludicris rebus abhorrent. Celsos uero Rhomulidas iuniores; qui florentis ætatis feruore elati poemata frugifera nihilifaciũt, dum modo à ridiculis iocis uoluptatem, & cachinnos hauriant. mirũ quippe in modum ad libidinem iuuentus procliuior est.

QVID DEDECEAT.

Sunt delicta tamen, quibus ignouisse uelimus;
Nã neque chorda sonũ reddit, quẽ uult manus, et mẽs,
Poscentiq; grauem persæpe remittit acutum.
Nec semper feriet quodcunque minabitur arcus.
Verum ubi plura nitent in carmine, non ego paucis
Offendar maculis; quas aut incuria fudit,
Aut humana parum cauit natura. Quid ergo?
Vt scriptor si peccat idem librarius usque,

Quamuis est monitus, uenia caret; & cytharœdus
Ridetur, chorda qui semper oberrat eadem.
Sic mihi qui multum cessat fit Cherylus ille;
Quem bis terq; bonum cum risu miror, & idem
Indignor. quandoque bonus dormitat Homerus;
Verum opere in longo fas est obrepere somnum.

Quoniam uero satis superque pauloante dictum est, quid poetam deceat, merito hic subijciendum quid non deceat existimauit; ut decori, cui adhærendum est, e regione & contrario nomine dedecus, quod euitandum, tanquam uirtuti uitium opponatur. Vnicuique ergo poetæ maxime cauendum est, prouidendum est, ne in uniuerso peccet; pluribus'ue erratis poema omnino deformatum reddat. Cum tamen homines ob naturæ imbecillitatem facillime delinquant, ignoscere quandoque oportet; præsertim quôd omnibus in rem actionibus euenire cernimus, ut plerunque finem optatum non consequamur. nerui enim persæpe non recte intenti, aut remissi legibus musicis nequaquam respondent; minimeque eum sonum remittunt, quẽ cytharœdi manus, atque aures expostulant; cumque hic grauem poscat, illi acutum reddunt. Sagittarius quoque non semper eum scopum percutit, quo arcum intendens sagittam direxerit. Cum itaque proprium hominis sit peccare, iure poetis quædam parua delicta condonantur, quæ incuria commisit, humana'ue natura peccatis obnoxia parum cauit. Nam cum plura ornamẽta tanquam gemmæ splendent in poemate, non adeo paucis maculis offendi debemus; ut illa præclara, laudeque digna asperne mur. Cumque omnium membrorum compactio mira pulchritudine præfulgeat, insolentis nimium, ac pene delicatissimi fastidij esset ob næuũ totum corpus repudiare. Nihilominus qui improuidus sæpe sæpius in eadem errata, quamuis monitus, incurret, uenia omnino carebit; imo tanquam incautus damnabitur, non secus atque librarius, qui in describendis codicibus idẽ mendum litura corrigendum sæpissime exarat; ac cytharœdus,

qui ſemper eadem chorda oberrat. Quinimmo alter Cherylus iure habebitur, poeta ille ineptiſſimus ab Ariſtotele, dum in topicis Homeri exemplis nō Cheryli utēdum admonet, exploſus; qui cum geſta Alexandri conſcribenda ſumpſiſſet, uix duos, aut tres uerſus laude dignos eructauit. Quapropter ne in maximos ac plurimos errores incidat, unuſquiſque ſummopere caueat; id quippe eſt intolerabile. Cum alioqui labeculas omnino euitare mortalitas non poſſit, ac doctiſſimi quippe uiri plerunque cæcutiant. Nam & Homerus ipſe; quem Socrates apud Platonem omnium poetarum optimum, ac penè diuiniſſimum appellat; inq́ue eius libris tandiu elaboraſſe Ionem illum rhapſodum mirifice probat; dormitaſſe quādoque eruditiſſimis, ac iudicio prææditis uidetur. Fas enim, ac propè neceſſarium fuit in tam magno poemate ſomnum obrepſiſſe; cæcumq́ue ſenem tanto labore defeſſum non nunquam obdormiuiſſe non eſt mirum. Atqui ſingulos locos, in quibus ille caligaſſet, quod non nulli faciunt, oſtendere non auſim. deterret enim tanti uiri maieſtas; quem omnes doctrinarum fontem, cunctarum rerū theſaurum, poeticæq́ue artis exemplar quoddam conſtituerunt.

POESIN PICTVRAM IMITARI.

Vt pictura poeſis erit; quæ, ſi propius ſtes,
Te capiet magis, & quædam ſi longius abſtes.
Hæc amat obſcurum; uolet hæc ſub luce uideri,
Iudicis argutum quæ non formidat acumen;
Hæc placuit ſemel, hæc decies repetita placebit.

Animaduertendum eſt, ne quiſpiam hac licentia, quam Flaccus legum conditor hominum uitio adactus, & quodammodo inuitus dedit, impune abutatur; ne inquam arbitretur ſibi peccata omnia remitti, & condonari; quæ ſi à critico obijciantur, ſtatim occurrat: Homuncio ſum, humani à me nihil alienum puto (ut Terentianum illud ad hanc ſentētiam accommodetur) quinimo

omnibus ingenij uiribus cuique enitendum est, ut opus cum decoro absoluat; adeoque excultum, politum, limatumque reddat, ut tuto extra domesticos parietes exire, inque studiosorū manibus, quibus perpenduntur lucubrationes, haberi posit. Poesis enim, ut supra diximus, picturam imitatur. & quemadmodū tabella præclare, artificioseque depicta eo magis oblectat, quo propius accedas; alia uero procul spectanda, ut quæ non tantam artis præstantiam contineat; rursus hęc in intimo ac sub obscuro loco conspicienda, ut uitia lateant; illa uero propalàm, omniumque ante conspectum collocanda, ut quanto magis aspiciatur, eo melius oculis splendescat, atque animum pictura pascat inani: ita poema ad unguem perfectum, suisque ornamentis distinctum, uarijsue coloribus ornatum, ac nullis maculis inspersum fauste, & feliciter foras dabitur; doctissimorumque hominum, qui se censores faciunt, acre iudicium non formidabit, ac procul ab omni reprehēsionis nota iterum & sæpius perlegetur, maiorem quoque in dies singulos repetitum iucunditatem præbebit. Quod equidem in Marone nostro euenire quis inficiaretur? Eius quippe crebrior lectio iucundiorem uoluptatem tradit; quantoque frequentius illius diuina carmina repetūtur, tanto minus satietatem afferunt. aliorum uero quorundam poesis uix semel lecta tanto fastidio legentium animos afficit, ut nunquam amplius in manus sumatur; imo ad eum tantummodo usum in posterum seruari soleat, ut inertes tineas perpetuo taciturna pascat.

IN POESI NON DARI MEDIOCRITATEM.

O maior iuuenum, quamuis & uoce paterna
Fingeris ad rectum, & per te sapis, hoc tibi dictum
Tolle memor; certis medium, & tolerabile rebus
Recte concedi. consultus iuris, & actor
Causarum mediocris, abest uirtute diserti
Messalæ, nescit quantum Casellius Aulus,

Sed tamen in pretio est. Mediocribus esse poetis
Non Dij, non homines, non concessere columnæ.

Scio quòd lata lex non nullorum suffragijs repudiabitur; qui eā tanquam nimis duram abrogandam esse contendent; cum non omnes omnia possint, minimeque ad summum pręstantiæ culmen unusquisque peruenire ualeat. Est enim quoddam prodire tenus, si non datur ultra. His ergo Horatius alio decreto occurrit; mediocritatem scilicet, quæ in reliquis artibus studijsque non improbatur, in poetica nequaquam tolerari. Imo, inquit, ô maior natu Pisonum, qui minorem ætate præcurrens melius rem hanc dijudicabis (ni aliquis poeticæ fuisse studiosiorem, uel contrariam auctori de poetarum mediocritate opinionem habuisse dicat; atque idcirco fuisse monendum) quamuis patris sapientissimi, ac doctissimi uiri monitis instituaris, & per te sapias, hoc tamen meum præceptum ne contemnito. Certis ac definitis rebus mediocritas quædam recte conceditur; mediocris enim iureconsultus, causarum'ue actor (etsi cum A. Casellio iurisperitissimo, Messalaque Coruino oratore disertissimo non comparandi) suis tamen laudibus ornantur. mediocrem uero poetā esse, neque a' Dijs, neque ab hominibus, neque a' parietibus ipsis unquam permissum. Tanta quippe in poeta; cum eius sit munus dicere perapposite ad admirationem, quam nihil nisi summum parit, magnificum, atque excelsum; præstantiæ magnitudo requiritur; ut non immerito asserat Cicero uix singulis ætatibus bonum poetam inueniri. Eloquentia enim, ac poesis ex ijs rebus uniuersis constant, quibus in singulis elaborare per magnum est. Quo circa antiquos uates, summos illos, atque egregios, in suo quenque scribendi genere, nunquam satis admirari possum. qui nescio an posteris canendi facultatem reliquerint. Recentiores uero quosdam non possum nisi irridere; qui ab imperito uulgo inanem gloriolam captantes, uersiculos, imo nugas, de quacunque re effutiunt. Quòd si torculis noctes ac dies exprimerentur, nihil unquam succi deflueret; adeo ut in eos conuenienter dici possit prouerbium illud, oleum & operam perdidisse. Cæterum quis fuerit Aulus ille ab auctore tan-

quam iurisprudentissimus celebratus, non erit ab re fortasse quę rere. Ac primo Cesellium uindicem qui arbitrantur; de cuius erroribus scripsisse fertur Terentius Scaurus, cuius'ue commentarios rerum antiquarum citat Gellius; doctis uiris nullo modo satisfaciunt. eum quippe fuisse grammaticum plane constat. rursus alij Casellium prædiatorem intelligentes minus arrident; de quo in oratione Ciceronis pro Cor. Balbo hæc uerba habentur. Q. Scæuola ille augur cum de iure prædiatorio consuleretur homo iurisperitissimus consultores suos non nunquam ad Furium & Casellium prædiatores reijciebat. innuit enim Horatius hic præstantissimum in arte, & non mediocrem, qualis ille prædiator. Nam quòd non nulli Cassellium reponunt, nullo modo probatur. Eum itaque Casellium intelligamus; quem ut uenustum Quintilianus laudat, ac iureconsultissimum fuisse perhibent.

Vt gratas inter mensas symphonia discors,
Et crassum unguentum, & sardo cum melle papauer
Offendunt; poterat duci quia cœna sine istis.
Sic animis natum, inuentumq́; poema iuuandis,
Si paulum summo discessit, uergit ad imum.

Cum Flaccus omnino poetis mediocritate interdixisset, ostendit nunc se id æquo iure fecisse; ne temere legem sanxisse uideretur. Congruentibusque exemplis ea de causa modum uatibus non præfiniri statuit; quòd cum poesis ad oblectandos, iuuandosque animos inuenta dicatur, nisi summum præstantiæ splendorem adipiscetur, iucunditatem cum emolumento nullo pacto præbebit. Nam & in lautis conuiuijs symphonia, quæ pectora demulcendi causa adhiberi solet, discors, iam tum eo nomine nequaquam digna, magnopere conuiuarum aures offendit. Vnguentum quoque putre, maleque olens naribus iniucundum odoratum tradit. eo quippe manus defricabant; nam post singula fercula palmas antiqui abluebant; quem morem optime expressit Catullus Fabullo suo inter cœnãdum unguẽ-

tum se daturum promittens; quod cum olfaceret, deos foret rogaturus, ut totum se nasum redderent. Papauer etiam; cuius semen cum melle in secunda mensa, somni iam tempore imminente, soporis fortasse gratia prouocandi apponebatur; nam, ut inquit Plinius, satiuum uim habet somniferam; cum siluestre melle decoctum in miro sit usu ad faucium remedia; si comedendũ non cum attico, uerum cum sardo melle, quod habebatur pessimum, commisceretur, non ne omnes respuerent? præsertim quòd cœna sine eiusmodi luxu iam traduci poterat. Poesis itaque ut animos alliceret adinuenta; oblectamentisque ad recte uiuendi normam adduceret, si paulum â summo excellentiæ culmine decesserit, ad infimum locum prorsus declinabit. Nã cum medium non detur, in alterum duorum extremorum incidere necesse est; ut uel ad altitudinis apicem euolet, uel ad humilitatem decidat; æque cœlo, ut ita loquar, ad terrę centrum delapsa nunquam amplius in luminis auras egrediatur.

NON ESSE INVITA MINERVA SCRIBENDVM.

Ludere qui nescit, campestribus abstinet armis;
Indoctusq; pilæ, disci ue, trochi ue quiescit;
Ne spissæ risum tollant impune coronæ.
Qui nescit, uersus tamen audet fingere. Quid ni?
Liber, & ingenuus, præsertim census equestrem
Summam nummorum, uitioq; remotus ab omni.
Tu nihil inuita dices, faciesq; Minerua:
Id tibi iudicium est, ea mens. si quid tamen olim
Scripseris, in Metij descendat iudicis aures,
Et patris, & nostras, nonumq; prematur in annum.

Membranis intus positis delere licebit
Quod non edideris; nescit uox missa reuerti.

Quæret aliquis fortasse normam, & regulam seruandam; ne in illam mediocritatem, quam auctor poetis abstulit, inconsiderate incidat. Quippe quid euitandum sit edoctus, uiam & quodã modo lineam, quam nunquam transeat, ostendi sibi uult. Huic ergo iustissimæ expostulationi satisfaciendum esse existimauit; admonens neminem ea aggredi debere, in quibus excellere non certo sciat; ne sit tanquam cantherium in fossa; inuitaque, ut aiunt, Mineruа nihil dicendum, peragendum ue, ne more Gigantum naturæ quispiam repugnare uideatur. qua quidem aduersante nihil unquam præclarũ, nihil laude dignum fit. Atque utinam huiusmodi sententia, tanquam diuinum oraculum mentis thesauro ab omnibus custodiretur; nam unusquisque in arte sua præstantissimus euaderet, si inquam ijsce studijs se dediderit, ad quæ natura ipsa idoneum, & procliuem finxerit. unde iure laudatur summus ille doctor Alabãdensis Apollonius; qui cum mercede doceret, non tamen patiebatur eos, quos iudicabat non posse oratores euadere, operam apud sese perdere; dimittebatque; & ad quãcunque artẽ putabat esse aptũ, ad eam impellere, atque hortari solebat. Atque hinc summopere extollendus est, qui ludendi inscius ab exercitatione ludoque campestri abstinet; qui'ue pilæ, aut disci, aut aliarum iuuenilium exercitationum expers quiescit; ne a frequentissima spectantium corona exsibiletur, habeaturque ludibrio, tanquam ὄνος πρὸς λύραν. Vnusquisque ergo, ne ineptitudinis, aut inscitiæ crimen subeat; ab effingendis carminibus abhorreat; nisi ad id naturæ impulsu adigatur, uimque omnem poeticam percalleat. nam alioquin ad summum fastigium ascendere nequit. Quòd si nobilis quidam, diuesque generis claritate, ac opibus confisus, adulatorumque caterua circumseptus occurret: nunquid ego indignus musarum alumnus iudicabor? qui liber sim, atque ingenuus, magnoque censu adeptus dignitatem equestrem, &, quod preclarius, ab omni uitio alienus? Flagitiosus quippe uates nullo pacto alijs prodest; unde illud, castum decet esse pium poetam; & ueteres

&ueteres haud immerito musas uirgines esse dixerunt. nam qui alios bonis præceptis instruere uult, debet ipse omni culpa prorsus carere. Est enim natura comparatum, auctore Aristotele, ut probis & honestis uiris magnam fidem adhibeamus. quamuis alij ab omni uitio poetico interpretentur. Huic paucis respõdet auctor, nobilitatem, & diuitias poeticam facultatem non parere; ac repugnante natura nihil esse dicendum, agendum'ue. Nam etsi cæterarum rerum studia doctrina, & pręceptis,& arte, ut inquit Cicero, constant; poeta tamen natura ipsa ualet, & mentis uiribus excitatur, spirituq́ue diuino quasi quodam afflatur. Quid? non ne ad scientiarum perfectionem, artiumq́ue adipiscendam requiritur in animis impetus ille, quem Aristoteles τὴν φυσικὴν ἀρετὴν nuncupauit? non ne cuique ab ortu suo astra inserunt semina quædam, ac scintillas, quibus aptus, & procliuis ad peculiare studium informatur? unde multos naturali eiusmodi procliuitate, sine doctoris opera, in disciplinis, artibusq́ue profecisse deprehendimus; quos Græci αὐτοδιδάκτους uocant. Ea propter cum pro comperto ab omnibus habeatur poetam à natura ipsa effingi, nihil erit profecto ineptius, quàm ea obsistẽte carmina moliri. Quod quidem decretum ab omnibus sancte obseruandum in animis fixum, insculptumq́ue maneat. qui uero secus fecerit, iratas musas semper habeto. Quòd si aliquid naturæ impulsu conscripseris, doctissimorum uirorum, ac naris emunctæ iudicium consulito; pensitandisq́ue carminibus Metium seuerum iudicem, patrem tuum Pisonem eruditissimum, et, si libet, me quoque adhibeto; qui æqua aurium lance (earũ quippe poeta diligentissimus debet esse consultor) accurate examinare possimus. tuarumq́ue rerum te censorem ne constituas. Fit enim nescio quo pacto, ut omnes φιλαυτίᾳ decipiamur; ac suum cuique pulchrum uideatur. neminem adhuc, inquit Cicero, cognoui poetam, qui sibi non optimus uideretur. Quapropter editionem non maturabis; quod non nulli amore sui obcœcati faciunt. imo libellum tuũ per plures annos occules; donec omni litura expurgatus, politulus, limatulusq́ue tuto foras dari possit. quandiu enim domi custoditur, diligentius in horas singulas examinari,&corrigi potest. quòd si semel in uulgus emanauerit, ad limam regressum nunquam habebit. nam quod se-

mel est editum amplius quonam pacto occultabitur? aut uox emissa quomodo reuertetur? præsertim quòd, asserente Aristotele, quod semel dictum est, οὐκ ἐστὶν ἔτι τοῦτο λαβεῖν. Atqui hoc præceptum semper memoria habendum Quintilianus ita celebrat, usus Horatij consilio, qui in arte poetica suadet, ne præcipitetur editio, nonumq́ue prematur in annum. dabamus libris otium: ut refrigerato inuentionis amore diligentius repetitos tanquam lector perpenderem. unde pręclare fecisse Plinio uidentur Apelles, & Polycletus; qui absoluta opera, quæ quidem mirando non satiabantur homines, pendenti titulo inscribebant; ut Apelles faciebat; tanquam inchoata semper arte, & imperfecta; ut contra iudiciorum uarietates superesset artifici regressus ad ueniam; uelut emendaturo quidquid desideraretur, si non esset interceptus.

DE POESIS ORIGINE.

Siluestres homines sacer, interpresq́; deorum
Cædibus, & uictu fœdo deterruit Orpheus;
Dictus ob hoc lenire tygres, rapidosq́; leones.
Dictus & Amphion Thebanæ conditor arcis
Saxa mouere sono testudinis, & prece blanda
Ducere quô uellet. Fuit hæc sapientia quondam,
Publica priuatis secernere, sacra profanis,
Concubitu prohibere uago, dare iura maritis,
Oppida moliri, leges incidere ligno.
Sic honor, & nomen diuinis uatibus, atque
Carminibus uenit. Post hos insignis Homerus;
Tyrtæusq́; mares animos in martia bella
Versibus exacuit. dictæ per carmina sortes;

Mares fortasse dixit animos, respiciens ad Orpheum, qui mulierum in se ipsum concitauit.

Et uitæ monstrata uia est. Et gratia regum
Pierijs tentata modis; ludusq; repertus,
Et longorum operum finis. ne forte pudori
Sit tibi Musa lyræ solers, & cantor Apollo.

Occurrunt non nulli rem hanc altius repetentes; qui poeticam non ea difficultate, quam diximus, præditam esse contendunt; neque tantam præstantiæ magnitudinem expostulare, ut omnino à mediocritate recedat. atque à primis eius initijs argumēta depromunt. Etenim priscorum quidam poesin tanquā pueriles fabellas ad oblectandum tantummodo inuentas aspernabātur; quippe quæ nihil aliud in recessu absconditum haberet, prę ter illud uoluptatis parum, quod in fronte promittit. Idcirco Horatius eiusmodi falsam opinionem ex animis hominum euellere nititur. atque sub fabularum inuolucris recte uiuendi rationem, philosophiamque omnem latere asserit; adeo ut doctissimi quique uiri poeticē primam philosophiam, rerumque omniū thesaurum nuncupare non dubitauerint. Nam, ut optime inquit Maximus ille Platonicus, Poesis nihil aliud est, quàm philosophia tempore uetusta, metris consonans, argumento fabulosa. Et quemadmodum medici amaras catapotias ægrotis præbere cum uolunt, saccaro prius inuoluunt, ut ea dulcedine gustatum decipiant; sic uetus philosophia sententijs ac præceptis moralibus sub fabularum integumentis, carminumque lenocinio, ne fastidio afficerentur, homines illos siluestrem uitam degentes, urbanisque moribus instruxit. quod quidem Orpheus Oeagri & Calliopes filius, Lini discipulus, primo in Thracia fecit. hunc enim poetico concentu Odryssas, agrestem profecto nationem, inhumanam, latrocinijsque assuetam, quæ Pangæum montem incolebat, à uictu ferino ad politicam uitam traduxisse perhibent. unde quòd rudes, siluestresque homines admiratione permulsisset, non feras modo, uerumetiam saxa, siluasque duxisse, posteritatis memoriæ traditum est. Quem auctor sacrum uocat, ut semideū atque heroa; uel quia multa ab Aegypto in Græciam mysteria transtulit; sermonesque sacros, oracu-

la, ac ceremonias conſcripſiſſe fertur. adeo quòd inter uetuſtiſſimos theologos numeratur. Qua quidem de cauſa deorũ quoque interpretem uocat. ni mauis ad illud reſpexiſſe, quòd eius caput euulſum poſtea reſponſa cõſulentibus dediſſe tradiderũt. Amphion præterea antiquæ muſicæ inuentor, ut nonnulli aſſerunt, teſtudinis ſono, carminum ſuauitate, blandiſque precibus duriſſimos homines, & quaſi lapideos ad laborem illexit, dum Thebas muro circunſepſit. atque hinc fidibus ſaxa commouiſſe dictus eſt. Quamuis alij citharœdum fuiſſe præſtantiſſimũ tradant; qui cantu gradario, compoſitoque Bœotios in aciem eduxit; uereque Thebas Cithariſſans inexpugnabili armatorũ muro circumuallauit. AD HAEC uetuſtiſſimi ſapientes poeticis coloribus optimam uitam, ſanctoſque mores depinxerunt; ac iuſtitiam, quæ ius ſuum cuique tribuit, inuiolate obſeruandam carminibus tradiderunt. Et quemadmodum antea erant omnia cum diuina, tum humana promiſcue confuſa, nullam religionem deorum'ue metum ſeruabant; imo ferarum more uxores quoque communes habebant; ita poetæ publicas res à priuatis, ſacraſque à profanis diſtinxerunt; uagos concubitus uetarunt; nefariumque ſcelus fore decreuerunt, ſi quis alienas coniuges in ſtuprum illexiſſet; ciuitates, & reſpublicas conſtituerunt (prius enim fuſi per agros, ac diſperſi uagabantur) leges etiam, quæ facienda iuberent, contrariaque prohiberẽt, ligneis tabellis, cum nondum excogitaſſent æris uſum, inſculpſerunt. unde iure Cicero poeticam uitæ præclaram emendatricem nuncupauit. Quocirca in ſingulos dies magis augeri cœpit, ſuoſque fines extendere: nam uatibus honos, qui alit artes, atque gloria, qua ad ſtudia incendimur, acceſſit. Qui propterea quòd diuino ſpiritu afflari exiſtimabantur, diuini ac ſancti appellati fuerunt. Theologorum deinde uetuſtiſſimorum ætati ſucceſſit inclytus Homerus. qui poeticæ amplificator maximus, doctrinarum fons, rerumque omnium amplum pelagus, & ut uno complectar uerbo, naturæ portentum appellandus eſt. Subſecutus eſt quoque Tyrtæus ille ἐλεγειοποιός, atque tibicen; qui carmine Lacedæmonios aduerſus Meſſenios bellum gerentes adeo in pugnam concitauit, ut uictores reddiderit. Hic, ut aſſerit Plato, Athenienſis, uel, ut alij, Mileſius à Lacedæmonijs poſteà ciuita

te donatus rebus bellicis omnino se dedit; ac mirifice celebrauit eos carminibus, qui in bello præstantes extitissent; minimeque laudandum ducebat, qui in pugna se se bene non gessisset. Fuit coæuus, ut non nulli arbitrantur, septem sapientum, aut uetustior, ut alij opinantur. scripsit πολιτείαν λακεδαιμονίοις, καὶ ὑποθήκας δι᾽ ἐλεγείας, καὶ μέλη πολεμιστήρια βιβλία ε, auctore Suida. Præterea, ut poesis inuẽtum deorum habeatur, per carmina oracula quoque edita fuerunt; imo heroici originem Pythio cuncti ascribunt; omnisque bene uiuendi ratio, ac philosophia à moribus ἠθικὴ nũcupata fabulis inuoluta, rhythmisque absoluta fuit. Poeticis demum numeris (ut oblatrare desinant qui musarum studia damnant; propterea quòd uates contemnantur, egestatemque quodammodo, & mendicitatem patiantur; semper uersiculum in ore habentes, Mœonides nullas ipse reliquit opes) regum, ac principum beneuolentiam ueteres aucupabantur. quantoque in pretio poetæ habiti fuerint, illud argumento satis esse debet, quòd Alexander inter spolia Darij Persarum Regis unguentorum scrinio capto, quod erat auro, gemmisque pretiosum; uarios eius usus amicis demonstrantibus, imo Hercule, respondit, librorum Homeri custodiæ detur; ut pretiosissimum humani animi opus diuiti opere seruaretur. Quid ergo præclarius euenire potuisset? aut qui maior opum cumulus? bona quidem existimatio diuitijs pręstat. Maroni quoque nostro qui dignior honos ab Augusto Cęsare tribui potuisset, quàm quòd eius carmina contra testamenti uerecundiam cremari uetuit? maiusque ita uati testimonium contigit, quàm si ipse sua carmina probauisset. Præterea non tantum commoda præbet poetica facultas, uerum etiam & oblectamẽta, laborumque solatia. Iocosis quippe fabulis nescio quo pacto animi alliciuntur; à quibus post res serias, longorumque operũ molestias quietẽ, relaxationemque mutuantur. Fit etiam, ut qui in eis conscribendis, lectitandisque elaborat, ipsum animum opere pascat, & quodammodo laboris præmium à uoluptate recipiat. Quod quidem in aliarũ rerũ studijs non ita accidere quis ignorat? an potius longorum operum finem poeticis modulis idcirco repertum dixit, quòd poetæ præstantium uirorum gesta carminibus celebrantes immortalitati tradiderunt; tantisque operibus laudem tanquam finem

ſuum, ac debitum præmium aſcripſerunt. omnes enim mandari uerſibus æternum ſuorum laborum præconium magnopere cupiunt. quod equidem teſtatur illa heroica ſuſpiratio Alexandri Macedonis apud Achillis tumulum. Alij Pierijs modis ludos eſſe repertos ſcenicos interpretantur, ob fabulas theatrales; & longorum operum fines uarios rerum euentus, quales in tragœdia, comœdiaq́ue continentur. Ni mauis ad homerica poemata reſpexiſſe; quæ uarios actus, multasq́ue actiones, conſilia, & bellorum caſus uarios, opera mirifica, diuerſosque exitus amplexantur. Cuius æmulatione Maro quoque Aeneam ſuũ poſt patriæ excidium tot tempeſtatibus, procellis, naufragijsq́ue cõflictatum ad Latium tãdem, quô tãquam ad calamitatum finem, errorumq́ue portum per tot rerum diſcrimina tendebat, perueniſſe tradidit. Sunt alij quidam Pierios modos uerſus lyricos exponentes; quibus uates regum heroumq́ue, ut eorum gratiam inirent, laudes conſcripſerunt; ac res iocoſas, ludicras, uoluptariasq́ue. cuiuſmodi Pindari, ipſius'ue Flacci odas legimus. Vnde Anacreontis totam poeſim amatoriam eſſe aſſeruerunt. lyrico præterea cãtu ueteres ſępenumero ſolicitudinibus, animiq́ue angoribus medebantur. uidetur enim natura hominibus muſicam tradidiſſe, ut facilius labores tolerarent, animiq́ue perturbationes mitigarent. quod fecit Achilles apud Homerum; qui ſummo dolore, ac triſtitia affectus, ut mentem tamen paululum oblectaret, canoram citharam ſumpſit. Vnde aliâs ipſe Flaccus inquit,

O decus Phœbi, & dapibus ſupremi
Grata teſtudo Iouis; ô laborum
Dulce lenimen mihi cunque ſalue
rite uocanti.

Quod hodie quoque fieri quis eſt qui neſciat? etſi odarum locũ numeri hetruſci occuparunt. quocirca, concludit auctor, nemo in lyricis tanquam re parua, uili, & contemnenda, cum alioqui magna ſit, atque præclara, elaborare indignum ducat. quamuis non nulli in uniuerſo poeſim omnem commendaſſe, eiuſque origini debitum præconium adiunxiſſe contendant.

NATVRA, AN ARTE POETA FIAT.

Natura fieret laudabile carmen, an arte,
Quæsitum est. ego nec studium sine diuite uena,
Nec rude quid prosit uideo ingenium; alterius sic
Altera poscit opem res, & coniurat amice.
Qui studet optatam cursu contingere metam,
Multa tulit, fecitq; puer, sudauit, & alsit,
Abstinuit Venere, & Baccho. qui Pythia cantat
Tibicen, didicit prius, extimuitq; magistrum.
Nunc satis est dixisse, ego mira poemata pango;
Occupet extremum scabies. mihi turpe relinqui est,
Et quod non didici, sanè nescire fateri.

Mos puerilis erat illi, qui in cursu ultimus esset, scabiem imprecari.

Cursores, qui agiles corpore, et celeres pedibus esse student, abstinent à compotationibus et ingurgitationibus meri: omnem lasciviam voluptatemque corporis vitant: multa perferunt; multum, diuque sudant; multum algent ab ipsa pueritia antequàm habili sint ad currendum corpore.

Vetus opinio est iam usque à priscorum philosophorum ducta temporibus, nasci poetam, â naturáque ipsa in matris utero ad condenda carmina aptum informari. adeo ut in poesi nō id eue nire sint arbitrati, quod in cæterarum rerum studijs; quæ doctri na, præceptis, arteque constant. Atque hinc è ueteribus cum Græcis, tum Latinis nemo poeticę præceptiones tradidit; cum reliquarum tamen rerum plures se doctores constituerint. Et profecto huius artium præclarissimæ, facilique principis nullas leges haberemus, nisi Aristoteles, atque Horatius noster tantæ ruinæ consuluissent. qui regulas docuerunt, quas transgredi ne quaquam licitum foret. quapropter eiusmodi sententiam tandiu mentibus hominum insculptam non omnino euellendam existimans auctor (difficile quippe erat) sed quodammodo corrigendam, neque uenam sine arte, neque artem sine uena optimum poetam conformare posse decernit; quinimo alteram ope alterius, atque adminiculo omnino indigere. non enim satis

Tibicines quoque, qui in Pythiis sacris, ubi certamina fiunt in Apollinis honorem, antequam summam consequantur laudem victoresque existant: multum prius se in eo genere exercent: magistrorumque à quibus artem canendi tibijs discunt, praeceptiones diligenter servant, et illorum minas ac ferulas exhorrescunt: imitatores autem homines sine ulla exercitatione ac studio poeticę artis, temere aggrediunt ad scribenda poemata: satisque magnam se assequutos putant, si multa scripserint, et versuum numero ceteros praecurrerint: quasi ignavos eos videant, ac desides, qui pauca scribunt:

eſt aliquem a natura facilitatem ad euomendos uerſus accepiſſe; niſi artem percalleat; quam quidem ut addiſcat, maximopere elaborare debet. cum in omni ſtudio, atque exercitatione qui excellere cupit, eum labores maximos ſubire oporteat. nam, ut optime inquit Heſiodus,

Τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν
Ἀθάνατοι. μακρὸς δὲ, καὶ ὄρθιος οἶμος ἐπ' αὐτήν.
Καὶ τρηχὺς τὸ πρῶτον, ἐπὴν δ' εἰς ἄκρον ἵκηται,
Ρηϊδίη δ' ἤπειτα πέλει, χαλεπή περ ἐοῦσα.

Ille enim, qui alios curſu præuertere ſtudet, primus'ue ad optatam metam peruenire, iam a puero in currendo ſe exercuit, multosque tulit labores, ſudauit, & alſit. qui uero cantibus ſe dederit, abſtineat neceſſe eſt à libidine; eius quippe nimius, atque intemperatus uſus uoci officit. quæ, auctore Ariſtotele, quando primum pueri in uenerem ſoluuntur, mutatur, deprauaturque. Vini quoque immoderatus potus eam craſſiorem, aſperam, & quaſi ſubraucam reddit. Sunt qui aliter locum hunc explicantes ita conſtruunt. Ille, qui curſu excellere optat, à Venere, & Baccho admodum abhorrere debet. illa enim pariter, atque uinum immoderate ſumptum corporis uires debilitat, eneruantque. Tibicinem præterea, ut modulate canat, muſicas leges didiciſſe prius oportet, docentique magiſtro obtemperaſſe. alioqui nemo ſine labore, doctoriſque induſtria, ac diligentia præſtans in arte qualibet euadet. nam etſi natura plurimũ pollet, artis tamen ad præclare agendum ſocietate indiget. difficilius enim eſt, inquit Ariſtoteles, bene quippiam facere, quàm facere. quod ſecus hac tempeſtate uſuuenire quis ambigat? ſucceſſit quippe ſcientiæ inſcitia, artiumque peritis indocti. qui arrogantia, cæcoque ſui amore ducti, ſe mira poemata condere arbitrantur; nihil turpius exiſtimantes, quàm in infimis, atque poſtremis carminum conditoribus haberi, & tanquam in curſu nouiſſimum ab alijs relinqui. imo, quod abſurdius eſt, ſua mala opinione obcœcati fateri nolunt ſe neſcire quæ non didicerint; cum longe ſatius eſſet confiteri neſcire quæ ignorant, quâm ea profiteri quæ non callent. Hanc enim ob cauſam ſapientiſſimũ ab Apolline Socratem iudicatum eſſe uolunt, quia ſe ſcire non putabat quæ neſciebat; demumque id unum ſe percallere aſſe-

rebat,

rebat, quòd nihil sciebat.

FUGIENDOS ESSE ASSENTATORES.

Vt præco ad merces turbam qui cogit emendas,
Assentatores iubet ad lucrum ire poeta
Diues agris, diues positis in fœnore nummis.
Si uero est, unctum qui recte ponere possit,
Et spondere leui pro paupere, & eripere atris
Litibus implicitum, mirabor, si sciet inter=
Noscere mendacem, uerumq; beatus amicum.
Tu seu donaris, seu quid donare uoles cui,
Nolito ad uersus tibi factos ducere plenum
Lætitiæ; clamabit enim pulchre, bene, recte;
Pallescet super his; etiam stillabit amicis
Ex oculis rorem; saliet, tundet pede terram.
Vt qui conducti plorant in funere, dicunt,
Et faciunt propè plura dolentibus ex animo; sic
Derisor uero plus laudatore mouetur.
Reges dicuntur multis urgere culullis,
Et torquere mero quem perspexisse laborent,
An sit amicitia dignus. si carmina condes,
Nunquam te fallant animi sub uulpe latentes.
Quintilio si quid recitares, corrige sodes
Hoc, aiebat, & hoc. melius te posse negares:

Etsi nonnulli lachrimas ab assentatore præ lætitia effundi solere asserũt; non erit tamen inepta expositio, eũ lugere quãdoq; ut dolorẽ præ se ferat. nã si triste aliqd, aut lugubre inter legendũ occurrit, tãto mœrore se affici ostẽdet, ut lachrimas præ dolore cõtinere non potuisse simulet.

Quidam hic propriè mulieres præficas, quæ ante domum mortui laudes eius canebant, designari arbitrãtur; alij uero, quod magis placet, uiros intelligũt, qui in funebribus orationibus, defunctorumq; laudationibus se exercebant.

Bis terq; expertum frustra, delere iubebat,
Et male tornatos incudi reddere uersus.
Si defendere delictum, quâm uertere malles,
Nullum ultra uerbum, aut operam sumebat inanem,
Quin sine riuali teq;, & tua solus amares.

Quod si adhuc pugnax in sua fuisset sententia, maluissetque errata sua defendere, quàm corrigere, tunc hominem dimittebat, ne uno quidem amplius uerbo placato. Quid n. opus est inanem suscipere laborem corrigendi eos qui sibi plus nimio placent. sed nimiae suae temeritatis poenas dant: nam in maximas incurrunt reprehensiones, et passim ab aliis rident. ita fit, ut sua poemata, nemo praeter ipsos aut probet, aut legat.

Sine riuali liger dicunt qui stulte rant, qd nullus alius concupiscat.

Quoniam artem cum natura germanitatis uinculo copulandam esse, alteramq́ue sine alterius adminiculo bonum poetam facere nunquam posse decreuit; atque elaborandum magnopere in artis præceptionibus ediscendis monuit, ut præstantiæ fulgor acquiratur: idcirco quod obstat fugiendum merito subdit. Ac primo â poematibus amouendam esse assentationem uitiorum adiutricem, uirtutumq́ue pestem iubet; cauendumq́ue magnopere, ne assentatoribus aures quispiam patefaciat; imo pensitandis carminibus uerorum amicorum, eorundemq́ue doctissimorum uirorum acre iudicium subeat. qui recte conscripta probabunt, liturisq́ue digna interlinent. amici quippe mendum peccatum suum existimabunt; cum ea sit inter amicum atque assentatorem differentia, quæ inter coquum & medicum. quorum alter saporum lenocinia, ac uaria conquisitissimorum ciborum condimenta excogitat, ut gustui tantummodo suauitatem præbeat, nullam incolumitatis rationem habens; alter uero ea comedenda esse admonet, quæ bonam seruent ualetudinem, gustatū autem nequaquam oblectent. eodem itaque modo amicus amico non nisi utilia, omnibusq́ue de rebus ueritatem, etsi plerunque pariat odium, insusurrat. Assentator autem cuncta tam laudanda, quâm improbanda extollit, dummodo se placere sentiat; et, ut Cicero inquit, ad alterius non modo sensum ac uoluntatem, sed etiam uultum atque nutum conuertitur. Quo fit, ut diuites quidam largitionibus assentatores inuitantes non secus, atque præco ad emendas merces populū conuocat, simulataq́ue eorum approbatione decepti poeticam profiteri audeant; carminaq́ue â nemine unquam commendāda uero iudicio effundant. imo qui opibus affluens mensarum asseclis opiparam frequenter

cœnam dare, sponsionem'ue pro egenis facere ualeat; aut si eã in urbe auctoritatem obtineat, ut a' malis concertationibus, rixis, atque iurgijs eripere, inque litigiosis controuersijs cui uelit fauere possit; tantam apud se pernitiosorum assentatorum multitudinem habebit, ut eorum blanditijs obcœcatus nullo pacto uerum amicum a' falso dijudicare possit; cum omnes æque de rebus omnibus assentiantur. quocirca nunquam obæratos, aut munerum spe deuinctos suarum lucubrationum censores cõstituet, qui recto iudicio præditus de se recte iudicari uolet. etenim largitione allectus semper lętitiæ plenum, amorisque, etsi falsi, ostentatorem se præbebit. quinimo eius carmina legens, cui blanditur, non absque summa admiratione clamabit; Dij immortales, quàm præclare, optime, atque diuinitus rem hanc cõscripsit? adeoque se totum assentationi addicet, ut miratione obstupefactus exalbescat. Cumque mentis inconstantia, & prauitate uultum quoque eius indicem crebra colorũ mutatione uariabit non secus, atque chamæleon; qui statim quẽcũque attigerit colorem reddit; præ simulato etiam gaudio lachrimas effundet, falsaque lætitia elatus immoderate exultabit, ac temere gestiet; imo pede terram quandoque tundens nihil melius, elegantius'ue pertractari potuisse adiurabit. Assentator quippe simulata mente ad alterius uoluntatem se se accommodans magis laudare, inque laudando commoueri uidetur, quàm uerus laudator, atque amicus. qui profecto non nisi commendanda probat, uituperandaque reprehendit. quemadmodum expressiorẽ ostendunt mœstitiam, maioremque lachrimarum uim profundunt qui mercede conducti, ut defunctorum interitum deplorent, dolorem & fletum simulant; quàm qui uere eorum mortem dolent. atqui eam inter se habent dissimilitudinem, qua uerus dolor â falso distat. illis enim lachrimis, quæ quidem citissime arescunt, tantum oculi turgent; hisce autem intimo mœrore cor, atque diutino cruciatur; illi in alienis malis dolentes apparent, cum uere nequaquam mœreant, hi uero ex animo condolẽt. Quapropter ab eo, qui optimo iudici sua carmina perpendenda committere cupiet, reges, ac principes imitandi erũt. ut quemadmodum hi uino replere (tunc enim occulti mores, ac secreta animi proferuntur) & quodammodo multis poculis exa

minare solent eos; quos in familiarium numero admittere uolunt, ne prius quâm adsciscant ignorent, an sint amicitia digni. ita uir acrioris iudicij, amicusque ab experientia rerum magistra comprobatus eligendus est, cui uersus examinandos tradat; ne à uafrorum adulatorũ latentibus fallacijs, quasi uulpeculę fraude decipiatur. qui quidem rerum omnium simulatores pariter, ac dissimulatores cuncta blanditiarum caligine adeo confundũt; ut nulla amplius ueritatis lux splendescere possit. Quod contra euenire liquet, si doctissimo uiro, integro, optimoque uiro, inquam sine fuco & fallacijs, qualis Quintilius Varus habitus est Vergiliani poematis, ut asserunt, ab Augusto censor electus, carmina pensitanda quispiam commiserit. qui profecto in aliquod erratum incurrentẽ modeste, atque amice commonefaciet. quòd si ille sæpe & sæpius frustra expertus melius reddere posse recusabit, tunc male compactos uersus penitus delere, iterumque alios politiores effingere, & quasi denuo nouam materiam informare iubebit; non aliter ac fabri ferrarij male informatum opus in rudem iterum, atque impolitam massam redigunt; incudique restituto meliorem formam addere solent. At si ille nimiũ peruicax, duræque ceruicis homo prorsus correctionem respuet, erroremque potius defendet, quàm litura delebit; tunc nullũ ultra uerbum subijciet; imo falsa opinione inflatum in tenebris errare patietur; ne operam & oleum frustra amittat. qui enim non audientem admonet, minimeque obtemperanti præcipit, tempus absumere uidetur, perinde ac si surdo caneret. Quo fiet, ut philautiæ igne inflammatus, qui monitorem spernit, solus magnificiat sua, probet'ue, & quodammodo sine riuali sui ipsius amator sit. quippe ab omnibus despectus exsibilabitur.

DE EMENDATORIS OFFICIO.

Vir bonus, & prudens uersus reprehendet inertes;
Culpabit duros; incomptis allinet atrum i. inornatis
Transuerso calamo allinire, p(ro) eo q(uod) est damnare. *Transuerso calamo signum; ambitiosa recidet*
Ornamenta; parum claris lucem dare coget;

Arguet

Arguet ambigue dictum; mutanda notabit;
Fiet Aristarchus. Nec dicet, cur ego amicum
Offendam in nugis? hæ nugæ seria ducent
In mala derisum semel, exceptumq; sinistre.
Vt mala quem scabies, aut morbus regius urget,
Aut phanaticus error, & iracunda Diana,
Vesanum tetigisse timent, fugiuntq; poetam
Qui sapiunt; agitant pueri, incautiq; sequuntur.

Reliquum est, ut optimi, prudentisque emendatoris officium designetur; postquam id munus doctissimi uiri, atque (ut græco utar uerbo) φιλαλήθου proprium esse asseuerauit; ut in hac artis præceptione nihil desideretur. Et quamuis immensus sit campus, in quo euagari oporteret, si cuncta, quæ in examinandis poematibus requiruntur, recensere uellet; breuiter tamẽ rem hanc perstringit; ne lex, quam de breuitate promulgauerat in præceptis tradendis, abrogaretur. Bonus itaque corrector, ueritatisque sectator carmina sine ullo artificio compacta, nulla cura elaborata, impolitaque reprehendet; dura mollienda, incompta uero superinducta linea penitus delenda esse præcipiet. ornamentorum quoque nimiam, ac redundantem luxuriem stilo depascendam esse monebit; obscura etiam illustranda, ambiguaque explicanda commonefaciet; ad ea uero, quæ mutanda iudicabit, notam apponet. fietque demum alter Aristarchus sapientissimus iudex. ille quippe uir doctissimus, ac certo præditus iudicio, cũ sibi prouincia a' Pisistrato data fuisset, ut Homeri fusa, ac dispersa carmina colligeret, quæcunque homericã redolebant maiestatẽ dijudicans in rhapsodiarũ ordinem digessit; adulterinum autem uersum asterisco notabat. Talis ergo cẽsor optimus, ac prudentissimus, qualis Aristarchus, obsequium spernet; nec inquiet, quod assentatores consueuerunt: quid mea interest alterius errorem coarguere? aut cur amici nugas reprehendens illius odium in me concitabo? is enim, cui semel leuia deli

cta condonantur, malâ postea illectus indulgentia in grauiora incidet; falsoque ab adulatoribus laudatus, reipsa occulte derisus adeo praua opinione sua obcœcabitur, ut nunquam deinde castigationem admittat. quinimo falsa ac simulata eiusmodi approbatione inflatus persuasum habebit, neminem se meliora pöemata posse conscribere. quocirca ab eius tanquam stulti, & uesani colloquio, consuetudine, atque contactu omnes sapientes abhorrebunt; ac ueluti scabiosum, mala'ue alia contagione laborantem, aut morbo regio affectum (eo quippe corripi uolunt medici, qui bili nimium uexantur, cuius equidem ui in insaniam ac furorem incidere solent) aut phanaticum, furijs'ue agitatum fugient; ne contagium contrahant, aut cum insipiente ipsi quoque insanire cogantur. eũdem præterea incauti pueri, qui nesciunt quantum periculum subeant, conuitijs, sibilis, atque lapidibus per urbem insectabuntur. erit denique omnibus ludibrio, & tanquam morio uulgo exsibilabitur. RESTAT, ut qui sint proprie, quos ab iracunda Diana uexari dixerit, explicetur. Et quamuis non nulli eos accipiant, quibus ipsa, iratum'ue aliud numen furorem immiserit; alij tamen comitiali morbo laborantes, quos Græci uocant ἐπιληπτικοὺς, intelligunt. eum quippe ob cerebri uitium euenire asserunt medici; cui Luna, quæ eadem est cum Diana, quemadmodum Sol cordi, dominari existimatur. præsertim quòd epilepsi affici uolunt illos Astrologi; quorum in genitura Luna horoscopum tenens e' regione aduersos habuerit Saturnum pariter, atque Mercurium. tunc enim merito irata dici potest; nam malà in configuratione collocata noxio aspectu irradiatur. uel quòd lunatico morbo corripi solent, qui interlunij coniunctionis'ue tẽpore, quam uocant coitum, editi fuerint; cum luna laborare fertur, & quodammodo iracunda lumen denegat; unde lunaticos dictos uolunt.

Hic dum sublimes uersus ructatur, & errat,
Si ueluti merulis intentus decidit auceps
In puteum, foueam ue; licet succurrite longum

Clamet io ciues, non ſit qui tollere curet.
Si quis curet opem ferre, & demittere funem,
Qui ſcis, an prudens huc ſe deiecerit, atque
Seruari nolit? dicam, Siculiq; poetæ
Narrabo interitum. Deus immortalis haberi
Dum cupit Empedocles, ardentem frigidus Aetnā
Inſiluit. ſit ius, liceatq; perire poetis;
Inuitum qui ſeruat, idem facit occidenti.
Nec ſemel hoc fecit; nec ſi retractus erit, iam
Fiet homo, & ponet famoſæ mortis amorem.

Pro frigido ſtultū ac temerariū accipit. ſub glaciali quippe cœlo editos ſtolidos, incōſultos, mortiſq; contemptores eſſe conſtat. Quod quidem in ferventi regione contra euenire hinc patet, q Heraclitus ſub ſicciore aere animam eſſe prudētiorē aſſerebat. uel potius ad aliā doctorū hominū ſententiā alludit; qui calido ſanguine præditos ſapere, frigido uero cōtra deſipere arbitrentur. Vnde Maro: Sin has ne poſſim naturæ accedere parteis, Frigidus obſtiterit circū præcordia ſanguis.

Adhuc Horatius inſanos inſectatur, qui opinione ſua inflati poeſin profitentur; ac neſcio quo pacto irridens nūquam ſibi ſatiſfacere uidetur; inque eis eludendis iocoſum, atque ridiculum exemplum interponit. inquit enim, tanto eiuſmodi inſania affectum omnibus eſſe odio; ut ſi, dum tumidus, uerſuſque euomēs huc & illuc uagatur, ueluti auceps aucupio inhians, in foſſam puteum'ue inciderit; quod quidem Thaleti Mileſio ſidera contemplanti accidiſſe perhibent; licet uehementer, diuque clamet, io ciues ſuccurrite, ueſtrumque municipem ſeruate, nemo tamen opem ferre curet. Nam ſi quis forte auxilio uelit eſſe, funem'ue demittere, ſtatim ego occurram. qui ſcis an conſulto, ſponte ſua, & perlibenter huc ſe deiecerit, ſeruarique nolit? Non ne Empedocles Agrigentinus phyſicus poeta, uel, ut Ariſtoteles decreuit, potius φυσιόλογος, quâm poeta uocandus; cuius dogmata noſter diuinus Lucretius latinitati tradidit; dum ſtultus, ac uecors immortalitatem adipiſci cupiebat, Deuſque à poſteris haberi, in ardentem Aetnam ſe præcipitauit? quod quidem, auctore Philoſtrato, ſic antea prædixerat; χαίρετ᾽ ἐγὼ δ᾽ ὔμμιν θεὸς ἄμβροτος, οὐκ ἔτι θνητός. Cum itaque homo quilibet mortem oppetendi liberam habeat facultatem; quā Deus tanquam

non

optimum remedium in tantis uitæ pœnis mortalibus dedit; liceat poetis sibi ipsis mortem consciscere; eosque a' uita discedere sinamus. idem enim scelus est inuitum seruare, quod occidere. Nec semel hac uia, sed sæpe & sæpius mortem attentauit. Quôd si nunc retractus seruabitur, non idcirco amissam rationẽ, â qua discedens belua euasit, hominisque mentem recuperabit, imo â temerario, & incõsulto proposito non decedens nunquã famosæ mortis cupiditatem deponet, donec ipsam assequetur. Nemo igitur a' casu uoluntario eum extollat; ne, dum iuuare conetur, offendat; aut dum ἄνθρωπος ἀνθρώπου δαιμόνιον esse uelit (ut est in græcorum prouerbio) ab ipso lupus habeatur.

Nec satis apparet cur uersus factitet, utrum
Minxerit in patrios cineres, an triste bidental
Mouerit incestus. certe furit; ac uelut ursus
Obiectos caueæ ualuit si frangere clathros,
Indoctum, doctumq; fugat recitator acerbus.
Quem uero arripuit, tenet, occiditq; legendo,
Non missura cutem, nisi plena cruoris, hirudo.

Loca tacta fulmine maiores acri studio procurabãt, sacerdotẽ adhibebãt, dispersa fulminis uestigia colligebãt; terræq; sacris rite peractis, constructaq; ara, ac bidẽte cæsa eũ locũ bidental appellabãt; quẽ uiolare nefas erat. Par. Cæterũ triste dixit, uenerãdũ, atque horrendũ. Locus. n. sanctus, ac religiosus animis superstitione deuinctis terrorẽ incutit. Qua quidem de causa et Maro horrẽdã uocauit sibyllã.

Consueuerunt hic non nulli critici de Horatij inconstantia admirari; ut qui in tradendis præceptis breuitatem diligentissime custodiendam esse præceperit, ac postremo in eludenda quorundam pseudopoetarum insania, quæ quidem res nihil ad artem attinere uidetur, â sterilitatis angustijs in fertilitatis campos exierit; penitusque λακωνισμὸν deseruerit. Hisce ergo respondendũ arbitror, Horatium, qui alioqui in condendis legibus omnium breuissimus fuit, pusilla quadam digressione opusculum hoc cõsulto terminare uoluisse; ut lectori notum faceret, se quãdoque posse dicere copiose; ubertatisque floribus, cum oportuerit, redundare. uel acerbissimo odio inflãmatum, quo in insolentium uesaniam inuehebatur, breuitatis fuisse oblitũ dicamus. Itaque opus absoluens, remque omnem poeticam uolens concludere

non

non ab re esse duxit, de causa eiusmodi insipientię quærere, quo uidelicet læso numine, qua spreta religione, aut quo scelere perpetrato furor ille cuipiam temere effutiendi carmina immissus fuerit. an fortasse, quòd in parentum cineres minxerit, sepulchrumque uiolauerit? quod quidem nefas habebatur. Tanta quippe apud ueteres sepulchrorum erat superstitio; ut locum, quò quis inferebatur, aliquot pedes quaqua uersus designarint; inscriptioneque cauerint, ne citra designatum spatium alium quempiam humo contegerent; uel, ut quidam opinantur, arbores sererent, quæ radices egissent; terram'ue ararent, aut foderent, ne ossa detegerentur. Vnde auctor alibi inquit,

Mille pedes in fronte, trecentum cippus in agrum
Hic habet.

An potius illi insaniā Dij dederunt, quòd impurus, ac sacrilegus locra sacra polluerit? qualia erant de cœlo tacta, bidentalia nūcupata, quòd ibi binæ oues mactabantur; quę uomere, aut alio rustico instrumento uiolare crimen habebatur. Vtcunque sit, aut quouis scelere coinquinatus, certe furit, bacchanaturque. imo cum urbe uagatur recitator odiosus, perinde atque ursus conuulsis repagulis, effractisque cancellis erumpens populum perterret, doctosque pariter atque indoctos fugat; ne eius molesta recitatione distineantur; dignus equidem qui in carcerem, tanquam teterrima belua in caueam, detrudatur; cathenisque ac uinculis constringatur, ne amplius egredi possit. nam si forte aliquem arripuerit, nunquam dimittet, donec incondita carmina eructans furorem suum expleuerit; miseroque illi tantam molestiam iniecerit, ut uitam sibi esse acerbam putet. Imo quēadmodum hirudo, si semel cuti inhæserit, nunquam exugere desinit, ni sanguine plena, satiataque fuerit; à quo sugendo sanguisugæ nomē acquisiuit: ita poeta ille ineptissimus si quem nactus fuerit, cui carmina euomere possit, tandiu recitando detinebit, quoad uitæ pœnitere faciat; potiusque mortem, quæ rerum omnium est extremum, efflagitare, quàm rursus in eiusmodi pestem irruere. SED IAM receptui canere tempus admonet, ac riuulos claudere; quoniam sat prata biberunt: ut desinant oblatrare, qui hoc opus ab Horatio imperfectum relictum fuisse contendunt. nihil enim, meo iudicio, quod ad ar-

tis huiusce præceptiones attineat, in eo desiderari potest. Nam si leuiora quædam consectari uoluisset, quæ alioqui conscribendorum carminum ratio postulare uidebatur, grammatici officiũ persoluisset. si præterea nonnulla alia parerga adiunxisset; quę potius uerborum ubertatem, quâm materiam perutilem studiosis apportassent; frustra paginam absumpsisset; imitatusque hirudinem, legislatoris decorum non retinuisset; quod a' breuiloquio nequaquam discedere oportere supra monuerat: imo crimen subijsset, quod ab alijs summopere euitandum iusserat. Vnde non inconsulto eiusmodi comparatione libellum conclusit; ut innueret satis, superque de arte poetica pręcepisse, nihilque amplius ea de re dicturum; ne pro uoluptate molestiam, aut demum pro emolumento detrimentum attulisset.

FINIS.

SERIES LITERARVM.


ABCDEFGHIKLMNOPQ.

Omnes sunt duerniones, præter Q ternionem.

APVD ALDI FILIOS.

VENETIIS, M. D. XLVI.
MENSE AVGVSTO.





3.f 50.c